COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXV. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Kongl. Svenſka Vetenſkaps Academiens Handlingar főr År 1778. Vol. XXXIX. Stockholm. 8. pagg. 255. tabb. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scient. Suecicae, anni 1778. Vol. XXXIX.

Trimeſtre primum.

I. VARGENTIN de climatis Suecici temperatura ex obſeruationibus thermometricis Holmienſibus, annor. 1758 - 1777. p. 3.

II. PETR. IO. BERGIVS deſcribit *Hudſoniam ericoidem*, Virginiae plantam. LINNAEVS plantam habet in Syſt. nat. p. 317. mantiſſ. I. p. 11. 74. Noſter varia magni momenti in charactere generico addit, vt: Corollam diſtincte agnoſcendam. Sunt illi *Petala* 5, lutea, ſeſſilia, ouato-oblonga, obtuſa, calyce breuiora. *Filam.* 15 - 18 ſetacea, longitudine corollae. *Antherae* ſubrotundae. *Germen* ſuperum ouatum, ſuperne piloſum. *Stylus* cylindricus longitudine ſtaminum. *Stigma* ſimplex. *Capſula* oblonga calyce breuior vnilocularis triualuis. *Semina* 3. *Facies* fere Ericae, affinitas Hyperici, ſed dodecandra. Additur imago plantae, cum nulla adhuc habeatur. p. 19.

III. *Erica Sparrmanni* planta cap. bon. ſpei deſcribitur a CAR. A LINNE'. Detecta eſt a SPARRMANNO in interioribus Africae, capiti bonae ſpei adiacentis. Eo iter propriis impenſis ſuſceperat, nulli botanicorum ante tentatum. Speciei differentiam ita exprimit, qui deſcriptionem et iconem edit: Erica, *foliis quaternis imbricatis cilia-* p. 21.

tis, capitulis quadrifloris, corollis tubulosis strigoso-hispidis, antheris muticis.

p. 27. IV. *Bezoar equinum* describit CAR. PET. THVNBERG. Accepit lapidem in metropoli Iaponiae Iede, ab archiatro imperatoris, cui nomen *Kasragawa Fossju.* Ambae manus illum non amplectuntur. Pondere est librarum 2 et vnc. 6 medicar. Tantos lapides ex equis mortuis eximunt; minores, iuglandis magnitudine cum excrementis per anum eiiciuntur, itaque non generantur in vesica vrinaria, neque in vesicula fellis, quoniam nihil coloris fellis habent. Reperiuntur in equis domesticis, non in feris, quorum magnus in Iaponia est numerus. Iaponenses nomen lapidi dant *Baseki.* Est vero concretum calcareum ex lamellis variae crassitiei compositum, coloris grisei, laeue; densum, quod tamen vnguibus radi possit. Minorem eius generis lapidem dissecuit, nucleum nullum reperit, interiora vero, omnino similia exterioribus, alia vi, quam absorbente, pollere non credit. Pretium in Europa nescit.

p. 30. V. *De hydrocele ope caustici sananda* agit HENR. GAHN. Nihil omnino noui prolaturum se profitetur, vtilem vero ciuibus suis praestiturum operam, dum illis remedium et methodum commendet, quae ELSE Londini descripsit. Itaque, vberiori explicatione anatomica morbi praemissa, quinque casus fuse narrat, quos plerosque ipse vidit, vel solus vel comes Cl. ACREL, cuius sunt aliquot illorum historiae. Omnium euentus felix fuit.

p. 55. VI. *Problema inuersum virium centripetarum, vbi vis est reciproce, vt quadratum distantiae,* noua ratione, astronomiae inprimis apta, tractat AND. LEXELL.

p. 59. VII. CLAVDIVS BIERKANDER, *quae plantae, a maiore minoreue frigoris gradu vel laesae fuerint, vel omnino perierint,* recenset.

VIII.

VIII. ANDR. SPARRMANN *laruas muſcarum ex* p. 65. *homine expulſas* refert. Aeger, faber officinae ferrariae cachecticus, querebatur de ſuctione doloroſa infra ſternum, inprimis verſus latus ſiniſtrum; tactus locus dolebat, ventriculus velut a flatu interdum turgebat. Contra cachexiam ſuaſit Noſter, decoctum trifolii fibrini potus loco ſumendum, allium vero et interdum hauſtum ſpiritus frumenti, propter vermes, quos ſuctio doloroſa indicare videbatur. His cum malum leniretur, dedit celebratum remedium aduerſus vermes, puluerem rad. filicis vnc. j. et duos bolos, qui iunctim continerent *Scammon. et merc. dulc.* āā *gr. XXIV gummi guttae* gr. xvj e. ſ. q. extract. Tanaceti, quibus addidit gr. xviij. maſſ. pil. cathar. Phar. Suec. vt certius in viro adeo robuſto ſequeretur euacuatio; iis enim, qui vermibus laborant, difficilius aluum cieri. Cum medicamentum mane hora quinta ſumſiſſet, hora nona aut decima profeſſus eſt, ſe excreuiſſe vermium myriades, pleroſque ſimul, plurimo muco in maſſam pugni magnitudine conglutinatos. Illorum circiter 30 SPARRMANNO adferebantur. Quoſdam puluere radicis filicis conſperſit, et ſub eo per horam reliquit, poſt non minus viuidi viſi ſunt aliis. Albi, tres lineas longi aut paulo plus; altero extremo acuto, velut vnguibus duobus armato, altero obtuſo, prominentiis acutis aſpero. Indidit vaſi vitreo cum parte piſcis recentis, fundo terra tecto. Animalculorum alia terram ingrediebantur, alia piſci adhaerebant, alia iam in ouula oblonga fuſca abierant. Decima quarta poſtquam ex viro exierant die, muſcas in vitro vidit, quarum numerus poſt ad 15 auctus eſt. Quatuor illarum magnitudine dupla reliquarum, ceterum omnino ſimiles, vt eiuſdem ſpeciei varietas appareret. Perill. DE GEER, collatas cum pluribus exemplaribus

muſcae meteoricae LINN. S. N. omnino eiuſdem ſpeciei reperit. Faber poſthac ab iis omnibus, quae paſſus erat, liber bene valuit. Suſpicatur Noſter, muſcam ouula in inteſtinum rectum fabri depoſuiſſe, et laruas, cum egreſſae eſſent, altius prorepſiſſe.

p. 70. IX. Modum *mercurium dulcem via humida* praeparandi deſcribit CAR. WILH. SCHEELE. Libra dimidia mercurii viui, aequali ponderi aquae fortis immittitur, cucurbita in arena calida per tres aut quatuor horas incaleſcit, vt ſub finem quadrantis circiter horae leniter ebulliat. Interea 9 ſemunciae ſalis communis ſoluuntur in 6 vel 8 libris aquae, ebullienti ſolutioni immittitur aeque calida ſolutio mercurii, facta praecipitatione limpidum decantatur, adfunditur alia aqua calida, idque repetitur, donec aqua ſuperfuſa ſapore careat. Deinde omnia filtrantur, et calore leni ſiccantur. Eſſe id praecipitatum mercurium dulcem, experimentis et rationibus docet. Haec autem methodus minus laboris atque impenſarum poſtulat, quam vulgaris, quae ſublimatione vtitur, euitat periculum, quod a vaporibus naſci poteſt, et mercurium dulcem multo ſubtiliorem praebet, quam vulgo triturando poſſit obtineri.

p. 74. X. LAVR. HIORTZBERG refert duos caſus medicos. Primus eſt: *Catalepſis complicata cum triſmo*, de quo breuiter iam relatum eſt in Actis 1776. Aeger facultate ſe ipſum mouendi carebat, artus flexiles erant, et aliis impellentibus, moueri poterat, ſolum os, ne quidem dilatatorio oris aperiri poterat; quae ori per vacuum a dente exemto relictum ingerebantur, ſtatim rurſus effluebant. Immiſſus eſt balneis tepidis ad genua vſque, ex vena ſecta difficulter profluit ſanguis viſcidus craſſus, adhibitae ſcarificationes, veſicatoria, ſinapiſmi, frictiones

ctiones colli et spinae dorsi. Cataplasma refrigerans et resoluens impositum vertici et fronti frigenti. Clysma fortius, excrementa dura fetida eduxit. Cum deglutire non posset, data clysmata ex sero lactis, in quo soluta erat puls ex tartaro tartarisato et melle aequis partibus, item clysmata ex iure carnis. Quarta die, postquam haec acta essent, rediit facultas deglutiendi et loquendi, potus loco, quem primum postulabat, datum serum lactis praeparatum cremore tartari, cui puls ante dicta immittebatur. Sale cathartico, multum fecium mucosarum eiectum. Cum melius se haberet aeger, et ipse se mouere posset, de languore questus est, ignarus omnino, quae durante paroxysmo ipsi accidissent. Restitutus sanitati, nullum amplius eius morbi accessum sensit.

Alter casus est: *Palpitatio ex corde ossificato.* p. 77. Vir 26 annorum, ceterum robusto corpore, sed illis laborans, quae aneurysma, polypum cordis aut simile quid indicabant, multa perpessus subito exstinctus est. Cor repertum est insolitae magnitudinis, pericardium expansum turgens liquore rubrofusco, improuide effuso, vt mensurari non potuerit. In ventriculo sinistro, os oblongum spinosum, particulis minutulis osseis adhaerentibus, sedens ante ostium aortae in tunica interiore cellulosa cordis, fibris carneis cordis circumdatum, tectum membrana interiore. Valuulae aortae osseae, atrium posterius cum auricula sinistra expansa. Quae de origine eiusmodi concretionum ossearum HALLERVS et alii senserunt, refert, fatetur vero, nondum constare, vnde nascatur prima illarum materia.

XI. PET. IAC. HJELM docet, *pluribus ferri mineris inesse magnesium* (*Braunstein*). Examen BERGMANNI methodo instituit, mineras multas ex va- p. 82.

 riis

riis Sueciae locis adhibuit, et ſuſpicatur, plerumque magneſium ferri mineris ineſſe.

Trimeſtre ſecundum.

p. 85. I. CAR. FR. HOFFTER *de morſu ſerpentum.* Feminae, dum faſcem frumenti tractabat, iacens in illo Coluber Berus brachium ſiniſtrum morſu laeſerat. Brachium ſupra locum, quo tumebat, ligatum, foueae immiſſum et terra tectum, quod ibi moris eſt, datum illi oleum oliuarum, donec nauſea oriretur, deinde infuſum florum ſambuci, et ſuccus, vulnus et brachium oleo illita. Ita ſanata eſt. Iam cauſſas explicat, cur haec praeſtent auxilium, et varia de ſerpentibus, morſu illarum, et ipſa, quae domare eas dicitur, faſcinatione colligit.

p. 103. II. OL. ACREL addit quaedam diſſertationi praecedenti. Cum effectus oriatur a veneno ſanguini mixto, optimum iudicat, id educere quantocyus, vbi intrauit. Itaque vulnus, ab initio vix viſibile, ſcarificandum, irritandum, ſuppurationem eo in loco excitandam; quae fieri poſſunt inſtrumentis, qualia ad manus ſunt, cultro, ſaxo acuminato, fruſto vitri cet. Vulneri adfricanda, ſal, vrina, tabaci puluis, aut cortex Mezerei, ſi canthariđes non adſint. Hac methodo duos reſtituit, quos ſerpentes momorderant, puerum alterum, alterum virum adultum. Vulnera inflicta erant ſurae pueri, abdomini viri, aegri ad ipſum adlati pluribus horis poſt morſum, cum partes laeſae iam plurimum intumuiſſent. Nihil adhibuit, praeterquam ſcarificationes, puluerem cantharidum, emplaſtrum veſicatorium vulneri ampliato et aucto impoſitum. Diaetam praeſcripſit, lac dulce, cibi potuſque loco adhibendum.

p. 108. III. IO. REINOLD. FORSTER deſcribit *Yerbuam capenſem*, additis animaduerſionibus ad *Genus Yerbuae*

buae pertinentibus. Id enim a muribus ſeparandum cenſet *), et hos eius characteres genericos conſtituit. *Yerbua. Mammale, Glis; Dentes* primores vtrinque duo, validi incurui, occurſantes, truncati. *Aures* longae patulae, ſubnudae. *Oculi* ampli prominentes. *Truncus* antice exilis, poſtice dilatatus toroſus. *Pedes:* palmae breuiſſimae, plantae elongatae, tarſo longiſſimo, ſubtus calloſo. *Cauda* elongata veſtita (plerumque floccoſa). Species numerat 8. Capenſis, quam deſcribit, eſt palmis pentadactylis, plantis ſubtetradactylis. Viuas conſpexit in capite bonae ſpei in viuario. Ipſe animal maſculum dono accepit, in itinere mortuum. Delineauit id, cum viueret et valeret, filius GE. FORSTER, quae icon additur.

IV. ANDR. SPARRMANN quaedam addit deſcriptioni *Yerbuae capenſis*. p. 119.

V. *De aratri ſtructura* agit PETR. WASSTRÖM. p. 120.

VI. *Vomeris figuram optimam*, parabolicam oſtendere conatur HENRIC. NICANDER. p. 128.

VII. Problema KEPLERI, *de anomalia vera ex media inuenienda*, ſoluit IO. HENR. LINDQUIST, calculo breuiore. p. 136.

VIII. CAR. WILH. SCHEELE *puluerem Algerothi praeparandi modum* docet, qui minus laboris, periculi et impenſarum poſtulat, dum non opus eſt mercurio ſublimato corroſiuo. Proceſſus hic eſt: Libra antimonii crudi in puluerem redacti miſcetur ſeſquilibrae nitri in puluerem redacti, mixtum, bene ſiccatum detonat in mortario ferreo, hepar, quod ortum eſt, in puluerem redigitur, cuius librae in cucurbita miſſae ſuperfunditur mixtura p. 141.

*) Interim haec animalia murino generi iterum ſubmiſit Cl. PALLAS: vid. comm. noſtr. hui. Vol. P. II, p. 301. *Mus cafer*.

tura ex tribus libris aquae et quindecim vnciis acidi vitrioli, additis quindecim vnciis ſalis communis in puluerem redacti, cucurbita in balneo arenae, permittitur digeſtioni duodecim horarum, ſaepius agitatis, quae continet. Solutio, cum refriguit, filtratur per linteum. Reſiduo denuo infundi poteſt menſtrui dicti pars tertia, digeri et filtrari. Solutioni admixta aqua feruente praecipitatur pulvis Algerothi, abluendus et ſiccandus.

p. 146. IX. CASTEN RÖNNOW *arſenicum proprium cancri antidotum* oſtendit, *mercurialia vero nocua.*
Primo refert duos caſus, vbi ann. 1725 et 1735 arſenicum flauum adhibuit in cancro labii inferioris et mammae ſiniſtrae. Granula pauca fiſſuris immiſit, intumuerunt partes adfectae, magno aegrorum dolore; dein particulae ſeceſſerunt, quae abſcindi potuerunt, et paucis ſeptimanis malum ſublatum eſt. Ita cancro felicem medelam arſenicum et ipſe adhibuit, et ab aliis inprimis in Gallia adhibitum vidit, qua in re ad experientiam ſuam
p. 155. quinquaginta annorum prouocat. Contendit vero, arſenicum non agere vt cauſticum, ſed eo modo, quo acidum agit in alcali, (etſi nolit tueri, virus cancroſum eſſe alcalicum) ſcilicet in humido cancroſo ab arſenico excretam efferueſcentiam adeo vehementem, vt quae vaſa reperiuntur in loco, vbi mali ſedes eſt, vel in minimis fibris rumpantur et deſtruantur. Similem efferueſcentiam, debiliorem ſaltim, conſentaneum eſt naſci in vaſis ab eo loco, cui immediate applicatur arſenicum, magis remotis, itaque arſenicum magna circumſpectione adhibitum alterantis vice fungi, non ſolum cau-
p. 150. ſtici. Contra virum, qui cancro in facie laborabat, cum ſectionem ſubire nollet, mercurio dulci adhibito, miſere periiſſe, vt hoc quidem medicamentum
p. 159. in cancro obſit. Scirrhos et nodos, quibus reſectis

ctis aeger ſanatur, diuerſos a cancro eſſe, qui ſectione ſcirrhorum tolli non poſſit. Ceterum etiam ſcirrhos, abſque operatione, medicamentis internis, antimonialibus et mercurialibus ſe ſuſtuliſſe. Cancri virus maſſae ſanguineae immixtum eſſe, vinci veneno arſenici, vt virus venereum mercurio vincitur, qui, acidis additis, etiam in venenum abit. Ceterum ſumma circumſpectione adhibendum. Vnde etiam Academia, quae hoc ſcriptum edit, in nota adiecta, non niſi multa experientia inſtructis medicis id permittit.

X. CLAVD. BJERKANDER edit *Thermometrum Florae* anni 1777, quibus caloris gradibus primos flores aperuerint variae plantae, arbores folia protruſerint, aues migrantes aduenerint, inſecta apparuerint. p. 166.

XI. *Obſeruationes Suecicae eclipſis ſolaris*, 24 Iun. 1778. p. 174.

Trimeſtre tertium.

I. NIC. LANDERBECK, *de catenaria, quam format filum datae longitudinis* inter duas trochleas, partibus fili, quae extra trochleas verticaliter dependent, catenariam pondere ſuo ſuſtinentibus. p. 177.

II. ARVID FAXE *de tumore ſaccoſo extra faciem puellae prominente.* Puella quadriennis erat, tumor extendebatur ab angulo dextro oculi ſiniſtri ad dextri dimidium, hac quidem latitudine 4 digitos, a dextro oculo vltra faciem prominebat $3\frac{7}{8}$ digitis, ab oſſe ſiniſtro naſi tranſuerſim ad maxillam ſuperiorem, vbi adhaerebat $3\frac{3}{8}$ digitis. Attolli poterat, vt ſub eo appareret naſi dextrum orificium; longitudine $1\frac{3}{8}$ digiti, os naſi ſiniſtrum ex ſitu ſuo oblique depreſſum, ſed orificium naturali magnitudine. Cauſſam mater reddidit, quod quinto grauiditatis menſe, toto corpore prona cadens, p. 182.

abdomine

abdomine in arboris refciffae truncum adhuc ex terra prominentem impegiffet. Senfum inter aliquot dies fe percepiffe, ceterum nihil mali expertam effe, partum tandem debito tempore effe enixam, cuius fronti iam tumor hic adhaeferit auctus crefcente infante. Tactus vero docebat, os dextrum frontis, vbi adhaerebat faccus, feparatum effe a finiftro, maximam partem deftructum, vt non fupereffet, nifi pars arcus fuperciliaris, neque fentiebatur dextrum os nafi, bafis facci adhaerens ad futuram coronalem pertingebat, inde defcendens faccus fupra dimidium oculi dextri dorfum nafi fequebatur, ad latus lineae longitudinalis fupra frontem adfcendebat ad fontanellam, ibi crinibus tectus. Manibus tractatus liquidum fpiffius continere fentiebatur, et perpetuo pulfare. Preffo facco, de tinnitu aurium querebatur puella, et aegrius tractari faccum patiebatur. Vifu bene valebat et animi viribus, recte pro aetate ad omnia, quae ex illa quaerebantur, refpondens. Nofter credit, ictu, quem mater praegnans perpeffa eft, cranium embryonis fractum effe, et partem cerebri emerfiffe, quam contineri in facco exiftimat.

p. 186. III. ROLAND MARTIN occafione relationis, quae praecedit, *de laefionibus fub offe frontis minus nocuis* agit. Ex anatomicis adfert, poft os frontis vafa minori multitudine et amplitudine effe, cerebri partes ita pofitas, vt ab eius offis laefione minus patiantur, cet. Deinde propria et aliorum experimenta adfert, laefionum eius offis, vel, vbi tempeftiue opera adhibita eft, feliciter fanatarum, vel neglectarum etiam quodammodo, non ftatim lethiferarum.

p. 195. IV. Addit IO. L. ODHELIVS, militem Octobri 1758. in obfidione Anclamenfi laefum exeunte menfe ita conualuiffe, vt toto Nouembri aegris in nofo-

nosocomio seruiret. Exeunte mense, subito conuulsionibus correptus obiit. Sublato cranio, frustulum glandis plumbeae in latere dextro tentorii cerebelli repertum, detecta etiam via, qua a foramine superciliari sinistro supra corpus callosum progressum erat. Defunctus ea die plus spiritus frumenti, quam consueuerat, biberat, diutius forte victurus, si diaetam melius obseruasset.

V. et VI. *Sturni dauurici* et *Alaudae mongolicae* descriptionem et iconem edit Cl. PALLAS. p. 197. p. 201.

VII. *De iis, quae transspirationem insensibilem augent vel minuunt*, excerpta ex scripto, quod exhibuit ANTON. ROLANDSSON MARTIN, qui eum in finem innumera experimenta instituit se ipsum saepissime ponderando. Primo transspirationi consuetae numeri exhibentur, pro quouis mense medio ex pluribus obseruationibus sumto. Pro Ianuario, transspiratio nocturna est vnciarum $12\frac{5}{8}$, diurna $27\frac{1}{4}$. Pondera, drachma minora neglecta sunt, quoniam in pondere 150 librarum, quantitas decima sexta librae parte, vel vncia, minor, certo cognosci non potest. Iam, quae augent, in classes diuidit. I. Quae motum sanguinis irritant, vt motus, tabaci suctio, qua frigens hieme corpus incalescit. Hinc explicat, cur interdum, tabaco adsueti, illum vel in ipso agone mortis desiderent, scilicet frigus mortale ingruens oppugnaturi; calor ab igne, oua cocta sorbilia, assa foetida, multa sermocinatio, ira, opium initio frigefacit, quod thermometrum edocet, post transspirare facit. Spirituosa, salia volatilia, aromata, acida vegetabilia. Sumtis euacuantibus acidis, dulcibus, salsis, post excretionem transspiratio fortior est. Sumtis vero amaris, vel amaroacribus, vt aloe, minuitur. Plura alia ad hanc classem pertinent. Secunda est rerum, quae massam fluidi in corpore augent, vt: Theae potus. p. 204.

potus. III. Quibus ſuperficies corporis molleſcit, vt balnea. IV. Quae cutem irritant. vt dolor a frigore vehementi initio ortus. Imminuunt transſpirationem: I. Quae lentiorem motum ſanguinis reddunt. II. Quae vel non dimittunt materiam transſpirandi, vel canales, per quos exire debebat, occludunt. III. Quae ita in cutem agunt, vt impediatur transſpiratio. IV. Quae inteſtina irritando, transſpirationem a cute reuocant. V. Quae leniendo acrimoniam ſanguinis, transſpirationem minuunt. Singula exemplis illuſtrantur.

p. 219. VIII. *De parandis arte aquis medicinalibus calidis* agit TORBERN BERGMANN. Aquam thermarum Carolinarum comperit ſaturatam eſſe acido aereo, praeterea continere calcem, ferrum, ſal commune, Glauberi, et alcali minerale. Itaque vt illam arte imitetur, aquam frigidam, acido aereo ſaturatam, immittit ollae Papinianae, qualem emendatiorem WILKIVS deſcripſit; hanc ollam ipſam, aheno aqua pleno, quae dum ſuper igne caleſit, aquae, in olla contentae, quemcunque libet caloris gradum tranſmittent. Olla prope fundum epiſtomio inſtruitur, vt emitti poſſit, quantum quauis vice vſui adhibetur, nec opus ſit maſſam integram aeri libero exponere. Reliqua ingredientia aquae naturalis Carolinae cum ollae iniici non poſſint, ſalia ſcypho immitti poſſunt, qui aqua ex olla educta repletur, calx et limatura martis, frigidae immitti

p. 222. poſſunt, aut illi ipſi, quae in olla caleſit. Aquisgranenſes aquae foetorem hepatis ſulphuris ſpargunt, ſulphur etiam ex earum ſuperficie in canalibus ſublimatur, ex ipſis tamen aquis obtineri non poteſt. Cuius rei rationem hanc reddit: ex hepate ſulphuris vapores fetentes exire, qui aeris hepatici nomine venire poſſint. Eos ſulphur continere, materiae caloris, quod SCHELIVS docuit, phlogiſti

phlogiſti ope vnitum. Hunc aerem hepaticum, cum ex ſuperficie aquae in atmoſphaericum emergit, decomponi, aere puro atmoſphaerico phlogiſton attrahente, ita ſulphur liberatum, iis, ad quae fertur, adhaerere. Igitur ars Aquisgranenſes aquas imitandi eo redit, vt aqua communis aere hepatico impraegnetur, eodem artificio, vt alias acido aereo.

IX. A. LEXELL edit *theorema geometricum* de relatione inter inclinationes planorum, quibus continetur pyramis triangularis. p. 228.

X. ANTONIO DE ULLOA edit *obſeruationem eclipſis ſolaris* d. 24. Iun. 1778, habitam in mari inter inſulam Terceram et caput St. Vincentii, vbi totalis erat. Inprimis deſcribit annulum, quem circa lunam vidit, item punctum lucidum in margine lunae, indicium caui alicuius in eo lunae loco, per quod iubar ſolis tranſmicuerit. p. 235.

XI. CLAVD. BIERKANDER *muſcam* deſcribit, cuius larua in culmis ſecalis nutritur. Culmi, quibus ineſt, exigui manent vix 2 vel 3 digitorum longitudinem attingentes; hinc ſecale hoc pumilionem vocat, et muſcae nomen tribuit *Muſcae pumilionis*. p. 240.

XII. IO. IAC. HARTMANN *ſtercus in agros, qui vere ſeruntur, recens efferendum* docet, non exſpectandum, vt in area putreſcat, qua re particulae fermentationi et viuificationi plantarum maxime idoneae auolent. p. 242.

XIII. *Idem* confirmat PETR. WASSTRÖM. p. 246.

XIV. CAR. WILH. SCHEELE narrat, quae expertus eſt, examinans *molybdaenam membranaceam nitentem* Cronſtedtii. Obtinuit ex illa terram peculiarem, quam *terram molybdaenae* appellat, ſiue *acidum* molybdaenae; nam acidi proprietates oſtendit. Ipſam molybdaenam ſtatuit conſiſtere ex acido cum ſulphure mineraliſato. p. 247.

Trimeſtre

Trimestre quartum.

p. 257. I. *De annulo liuido, qui circa lunam in eclipsibus solis totalibus apparet*, P. VARGENTIN. Phaenomena huc vsque nota, ex inflexione lucis deduci potuerunt, non item, quod DE ULLOA primus descripsit, motus, peripheriae lunae paralleli.

p. 262. II. PETR. KALM *de iuglande Americae borealis*, quam coloni Angli *Hiccory* appellant. Primo refert, iuglandem albam, de qua egit in act. 1769; autumno 1775, in suo horto Aboae, et in arboreto, quod plantauerat, nuces maturas tulisse, e quibus arbores nouas educauit, quae in aere libero relictae hyemem anni 1776 tolerarunt, et adhuc aestate 1778 egregie se habuerunt. Iam vberius describit ipsarum, quae *Hiccory* vocantur, siue species, siue varietates, illarum naturam et vsus. Circulos, qui ex vasis succiferis induratis oriuntur, his arboribus interdum duos vno anno accedere, ex eo colligit, quod in truncis saepius multo plures numerentur, quam aetas arboris nota permittat, si singulis annis singuli accesserint. Eadem vasa in quibusdam horum vno alteroue anno ad partem soli obuersam flectuntur, alio ad oppositam, vnde varie circa arborem curuantur, atque, vt illa findatur difficile, efficiunt.

p. 283. III. *Tubi, per quem spiritus frumenti ducitur*, vt intra aquam frigidam refrigescat, emendatiorem structuram sistit IAC. GADOLIN, ex partibus rectilineis compositam, vt facilius reparari et purgari possit, quam helix consueta.

p. 289. IV. *De larua phalaenae secalis* in actis 1752 descriptae quaedam habet Cl. BIERKANDER, ad tempus, quo secalis culmos adoritur, modumque pertinentia.

p. 293. V. ZACH. PLAATIN *propositiones stereometricas* in mensuris vsualibus adhibendas demonstrat.

VI. RHI-

VI. *Rhinoceros bicornis* descriptus et depictus ab ANDR. SPARRMANN, qui ipse examinauit animal, Asiae, vt videtur, proprium. p. 303.

VII. IO. GVST. ACREL sanauit *herniam abdominalem incarceratam;* pars intestini per nouem menses ex annulo abdominali propenderat, aeri et aliis accidentibus exposita, item inflammata accedentibus fistulis intestini. Imitatus est methodum, quam in exemplo felicis euentus adhibuit ACREL *casuum chirurgicor.* p. 288. ed. II. eo inprimis respiciens, vt, remotis antea callositatibus, intestinum, quantum fieri posset, vacuum teneretur, donec vulnus oppletum esset. Tunica cellulosa eo in loco destructa, aperienda erat cutis inde ab aponeurosi musculorum abdominis, et adducenda, vt suturis adhibitis aperturam obtegeret. p. 314.

VIII. MARTEN THRANE BRÜNNICH *de duabus mineris stanni,* ex Cornwallia, nondum notis. p. 320.

IX. IO. L. ODHELIVS felici exitu manum adhibuit *synizesi pupillae* amborum oculorum *cataractis adhaerentibus,* quarum vna *lapideam duritiem* ostendebat, vt cultri apex ad eam frangeretur. Pupilla artificialis facta methodo LA FAYE, per quam crystallus opaca extrahebatur. Visus homini redditus. p. 324.

X. OL. ACREL, addit commendationem pupillae artificialis, quam tamen monet non diu durare, nisi radii iridis longitudinales transuersim resecentur. Itaque optat, vt, exacto annuo temporis spatio, de eo, cui ODHELIVS opem tulit, referatur, quomodo visu polleat. p. 326.

XI. CAR. WILH. SCHEELE docet parare *nouum pigmentum viride,* ex vitriolo cupri et arsenico. p. 327.

XII. ANDR. SPARRMANN, quaedam ad *Hippopotamum amphibium* pertinentia refert, et depictum sistit animal 8 aut 14 dierum aetate, quod cepit. Et hic, et antea, cum de rhinocerote ageret, aliqua comitis DE BUFFON pronunciata refellit. p. 329.

p. 334. XIII. CLAUD. BIERKANDER *erucam* obſeruauit, quae *auenae grana* excauat. Sed etiam reliqua cerealia adgreditur. Phalaenam, in quam abiit, habet pro phalaena tritici Faun. Suec. p. 1211.

II.

Von der Wirkung des Mohnſaftes in der Luſtſeuche. Nebſt andern zur Arzneygelahrheit und Naturlehre gehörigen Beobachtungen, Nordamerika betreffend, von D. JOHANN DAVID SCHÖPFF, *Feldmedicus bey den Fürſtlich-Anſpach-Bayreuthiſchen Trouppen dermalen in Nordamerika. Mit einer Vorrede herausgegeben von dem geheimen Rath und Profeſſor* DELIUS. *Erlangen bey Johann Jacob Palm* 1781. 8. *Seitt.* 48.

i. e.

De effectu opii in lue venerea. Accedunt obſeruationes ad medicinam et hiſtoriam naturalem pertinentes, et in America ſeptentrionali collectae. Auctore IOANNE DAVIDE SCHÖPFF.

Praefatus eſt Ill. DELIUS his obſeruationibus, et de mali venerei diuerſitate atque varia eidem methodo medendi differens hanc cum opio, quam
p. XV. Cl. SCHÖPFF communicauit, tradit. Non quidem reprehendit Ill. DELIUS vſum mercurii in lue venerea aeque ac aliis variis morbis, interim tamen cautum cenſet eſſe debere mercurii vſum. Atque confitetur, ſe varia ſine mercurio eiusque praeparatis ſanauiſſe mala venerea, aliis medendi rationibus. Iam Cl. SCHÖPFF opii vires in malo venereo perſcrutatus eſt.

Fortuito

Fortuito casu opii vsus in lue venerea est detectus. Iuuenis nimirum ea, variis mercurialibus aliisque remediis frustra tentatis, summe debilis redditus erat, quam debilitatem somni defectus praeterea augebat. Cuius rei causa opium eligebatur, et, vti euentus docuit, cum bono successu Nam huius iuuenis debilitas imminuebatur, et restituebatur is sanitati. Cui exemplo additae sunt obseruationes aliae, quas in posterum plures secuturas Noster pollicitus est. Parua dosi primum exhibebatur opium, et symptomatum ratione habita diligenti sensim paulatimque augebatur. Nullae inde alui obstructiones sunt animaduersae, et si aderant, facile poterant tolli. p. 1.

Vtrum vires opii in malo venereo ab eius anodyna, spasmodica, narcotica, neruinaque virtute sint repetendae, an illud remedium antiuenereum sit, non audet Noster definire, sed tradit hoc vlteriori experientiae. Nostro antidotum venereum videtur, Ill. DELIO, vti ex praefatione intelligitur, non ita: is enim potius fauet neruinis opii viribus. Per duodecim mensium spatium hoc remedio in hoc morbo coeptum est vti, et obseruationes collectae sunt. p. 8.

2) De climate et tempestate in America septentrionali. Durantibus quatuor aestatibus et tribus hiemibus collegit Noster obseruationes de proprietatibus climatis huius, quibus ea, quae iamiam tradita atque partim a nobis narrata sunt, confirmantur. p. 14.

3) De morbis hic solemnibus, quorum nonnullorum iam a nobis *) est mentio facta. Durante aestate apoplexia hic communis est. Quinquaginta et nouem ob ardorem solis sine vulneri- p. 31.

 bus

*) v. comm. nostr. suppl. IIdae decad. 406 seqq.

bus Iunio 1778 inter certandum moriebantur. Peculiare exanthema hic per aeſtatem commune eſt, nomenque hic habet *Prikling-heat.* Cutis ſcilicet maculis maioribus minoribusue rubris obſeſſa eſt, quae pruriunt, nec eleuatae diſparent et redeunt, quemadmodum caloris gradus vel increſcit vel decreſcit. In ſolis ardori expoſitos facilius cadebant hae maculae, quam domi morantes. Apud Noſtrum verſus meridiem apparuerunt. Tempeſtate temperata deſquamatio cutis fiebat. Maximo caloris praeſente gradu, catarrhi et coryza graſſantur. Inter morbos autumnales remittentes et intermittentes febres cum bilioſis ſymptomatibus primo loco ſunt nominandae, quae ſaepe ſpeciem febris Indiae occidentalis *) prae ſe ferunt. Per annos 79 et 80 frequentiores hae febres erant. Paludibus ad has febres ac alios morbos generandos multum tribuitur. Copiae a contagioſis morbis erant immunes. Per hiemem graſſantur inflammatorii morbi, inprimis pectoris. Duo morbi, angina nempe membranoſa (*croup* **) et tumor glandularum colli et teſticulorum (*mumps* ***), et hic occurrunt. Vtrique inprimis cadunt in iuuentutem, et poſterior contagioſus videtur, ſaltem in puerorum totis ſcholis ille graſſabatur. In cadaveribus reperit Noſter plerumque maiores minoresue polypos cordis et vaſorum maiorum eiusdem tenacitatis, craſſitiei et albedinis, quam cruſta inflammatoria. Sunt inorganicae et gelatinoſae membranae, quae, inflammationibus praecedentibus, ſuperficiem pulmonum aliorumque viſcerum obtegunt. Tribuit hoc Noſter vſui frequentiori potuum ſpirituoſorum. Culex pipiens LINN. efficit

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 59. et Vol. XV. p. 111 ſeq.

**) v. ib. Vol. XXIII. p. 239 ſeqq.

***) v. ib. Vol. IX. p. 305.

cit peregrinis in primo anno tot tumores fere, quot morſus. In ſequentibus annis autem nil habent facile, quod de hoc animali timeant.

III.

CONRAD MÖNCHS, *Aſſeſſor bey dem mediciniſchen Kollegium und Apotheker in Caſſel, Bemerkungen über einige einfache und zuſammengeſetzte Arzneymittel, Frf. und Leipzig bey Johann Georg Fleiſcher*, 1781. 8. *Seitt.* 80.

i. e.

Annotationes ſupra nonnulla ſimplicia et compoſita remedia. Auctore CONRADO MÖNCH.

Adhibentur, vti videtur Noſtro, nimis multa medicamenta exotica, ſaepe mangoniſata, admodum pretioſa, et quoad vires multa nobis ignota vel ſaltem dubia. Pariter compoſitiones variae medicamentorum ſibi contrariantur et incertitudinem produnt. Pharmacopoeis quidem pleraeque regiones inſtructae ſunt, et admodum multum emendatis, vt Suecica, Ruſſica cet. ſunt; interim tamen neque hae pharmacopoeae vnam ad normam medicamina parant, vt ex tartari emetici praeparatione et ſ. p. elucet.

Inter ea remedia, quae hic a Noſtro pertra- p. 30.
ctantur, et quorum nonnulla exempli loco commemoramus, inuenimus pilulas maiores HOFMANNI, quibus multum praefert ſolutionem fluidam, qua ſola omnis doſis mercurii ſublimati corroſiui iuſte et aequaliter ſoluitur, reliquis harum pilularum incommodis, quae narrata ſunt, miſſis.

Radicibus chinae ponderoſae et ſaſſaparillae p. 33.
proſtant efficaciores. et 34.

p. 47. Extractis substituuntur pulueres plantarum.
p. 61. Oleum amygdalarum dulcium frigide expressum reiicitur. Amygdalae enim humiditate aquosa gaudent, quae pondus olei augent, facile autem ei quoque rancorem conducunt. Quod autem in oleum amygdalarum dulcium calide expressum non cadit, cum calor humidas particulas abripiat. Apud
p. 62. nos ita hoc oleum exprimitur. Rhabarbarum a Cl° MODEL *) decompositum omnem mereri Nostro videtur attentionem. Detectum enim a Cl° MODEL in rhabarbaro gypsum noxium iudicatur a Nostro, qui plura instituet experimenta.

IV.

Des Ritters JOHANN FLOYER'S, *der Arzneygelahrheit Doktors, Abhandlung von der Engbrüstigkeit. Nebst einem Anhange, der die Beobachtung des* RIDLEY *über die Engbrüstigkeit enthält. Verdeutscht und mit einigen praktischen Anmerkungen versehen von D.* JOHANN CHRISTIAN FRIEDRICH SCHERF, *der Kaiserl. Akad. der Naturforscher Mitglied. Leipzig im Verlag der Dyckischen Buchhandlung* 1782. 8. *Seitt.* 334. *außer der Vorrede des Uebersetzers, Inhalt, Zueignungsschreiben und Vorrede des Verfassers.*

i. e.

De asthmate tractatus, auctore D. IOANNE FLOYER, cum RIDLEII obseruationibus de eodem, a D. IOANNE CHRISTIANO FRIDERICO SCHERF translatus.

In Germanicum vertit sermonem hos libros D. SCHERF, quos non nuper vulgarunt FLOYER, et HUMFREY RIDLEY. Ille tertiam et auctam editionem

*) v. comm. nostr. Vol. XXI. p. 528.

tionem anno 1745 Anglica lingua edidit, et RIDLEII liber hoc titulo *) prodiit. *Theoriam Floyerianam* non arridere ſibi aeque ac fortaſſe aliis viris doctis fatetur in praefatione interpres. Floyerianus liber autem eſt rarus ipſa in Anglia, et aeſtimatur etiam hactenus a medicis, et practicae obſeruationes vtiliores et meliores reperientur, atque theoria, quam ideo quoque plane non refutauit Noſter, qui, ſi ſuperari poſſent varia impedimenta, mauult aliquando aſthma ita deſcribere, vti Cl. TRNKA febres intermittentes cet. perſecutus eſt. Floyerianus liber eſt verbo tenus translatus; Ridleyiana autem verſio complectitur ea, quae ad aſthma pertinent, et eſt liberior; interdum quoque omiſit quaedam interpres. Quod attinet ad annotationes practicas, a Noſtro additas, largitur, eas non eſſe omnibus numeris abſolutas.

Contenta ſunt in hoc libro introductio de aſthmate, deſcriptio ſymptomatum ante paroxyſmum a flatulentia, aſthma flatulentum, in paroxyſmis ipſis et interuallis diuerſis. Altero in capite deſcribitur, praeternaturalis ſtatus lactei ſucci, ſanguinis et ſeri in aſthmate, et rarefactio animalium ſpirituum per fermentationem in humoribus, vnde periodici oboriuntur paroxyſmi. In tertio capite agitur de aſthmaticis paroxyſmis eorumque cauſis apertis, e. c. aere, vitae genere, corporis exercitio, commotionibus animi e. ſ. p. item de iis morbis, quibus aſthma eſt ſymptoma. In quarto capite de medendi methodo aſthmati, tam in paroxyſmo, quam extra eum. Appendix ſpectat grauitatem aſthmatici ſecundum methodum SANCTORII, relationem anatomicam de aſthmatica equa et RIDLEY animaduerſiones de aſthmate.

p. 40.
p. 68.
p. 95.
p. 177.
p. 290.

*) Obſeruationes medicae, inter quas aliquanto fuſius agitur de aſthmate et hydrophobia. L. B. 1738.

p. 25. In praefatione a Cl° FLOYER praemiſſa, de diverſis cauſis et ſpeciebus aſthmatis agitur. Antea vero de reſpiratione, eiusque cauſis, vtilitate cet. diſputatur. Ac primum quidem pendent reſpirationis laeſiones a praeternaturali ſanguinis conditione et immediate a praeternaturali pulſus dextri ſeu anterioris cordis ventriculi; dein eae ab obſtructione vaſorum ſanguiferorum ſeu bronchiorum, vel de eorum compreſſione ſeu contractione ſunt repetendae, et tertio eae in muſculis, qui reſpirationem efficiunt, quaerendae ſunt.

p. 191. Quod attinet ad medendi rationem aſthmati, proponitur a Noſtro haec: 1) Flatulenta et aere plena cacochymia eſt euacuanda, 2) ea per carminatiua remedia eſt corrigenda, 3) quaelibet fermentatio in humoribus eorum corporum ſeu rarefactio ſpirituum eſt vitanda, 4) obſtructiones glandularum in pulmonibus, ſi quae adſunt, reſolvendae et glandulae cerebri adſtringendae ſunt, ſeu earum tonus tenſioque efficienda eſt.

Ex obſeruationibus de aſthmate a H. RIDLEY traditis, ſectionem, mortuo aſthmatico, communicamus: Pylorus erat craſſus et ſcirrhoſus, ex parte etiam duodenum, pancreas et glandulae meſeraicae. Hepar erat flauum et viride. Renes et cetera erant ſana. Pulmones adnati cum diaphragmate erant dextrorſum, ſiniſtrorſum cum pleura et ſero vtrinque impleti cet. glandula pinealis erat plena albis et aſperis calculis.

V.

Diſſertazione ſopra una cieca nata guarita, in cui trattaſi di una rara ſpecie di cateratta connata, di GIOVANNI BORTOLAZZI, Chir. Veron. In Verona. Per gli Eredi di Marco Moroni MDCCLXXXI. p. CIV. in 8.

i. e.

i. e.

10. BORTOLAZZI differt. de puella, quae caeca nata erat, fanitati reftituta etc.

Auctor, qui Veronae chirurgiam facit, inprimisque in lapidum exfectione, fuffufioneque oculorum curanda occupatur, e fchola difciplinaque prodiit DOMINICI UCCELLI, chirurgi Mediolanenfis, e cuius celebritate fi difcipuli dexteritatem colligere liceat, haud leuis fpes animos deliniet noftros. Neque vero exfpectatio noftra eludetur, perlecto hocce libello. Etenim in prima differtationis parte auctor, narrata paululum verbofius, quod in vniverfum crimini verterim Cl°. BORTOLAZZI, hiftoria puellae, quae ipfi occafionem fcribendi praebuit, diligentiffime de fignis exponit, vnde bonam fuffufionis indolem colligere liceat; hinc caufas adfert, quibus inductus extractionem cataractae praeferendam putet eiufdem depofitioni. p. 23.

Deinde tranfit ad ipfam puellae cum caecitate natae operationem, quam, humoribus (nam erat chlorotica) largo decoctorum amaricantium et falis diuretici modico vfu emendatis, ita inftituebat, vt inftrumento perforaret corneam transparentem in lineae vnius diftantia ab illo, quo cornea opaca circumfcribitur, circulo: tum ad ipfam penetraret humoris cryftallini capfulam: quo facto magna cum vi prorupit materia brunnea, quae cum humore aqueo mixta, cameram oculi anteriorem reddebat obfcuram. Cl. BORTOLAZZI ratus, iftam materiam effe partem humoris vitrei, de infelici operationis fucceffu metuebat, maximopereque mirabatur, quod, oculo poft peractam operationem aperto, nullum opacitatis veftigium deprehendebat, (fimile quid etiam alii obferuarunt, inter quos vnum ACRELIVM, cf. eiufd. *chirurg. Vor-* p. 38.

Cc 5 *fälle*

fälle B. I. laudasse sufficiat); quam ob rem statuit, cataractam similis naturae in humore aqueo positam esse. Vulnus oculo inflictum sanabat absque fomentationum spirituosarum, vel roborantium vsu, quem cum aliorum, tum sui ipsius experientia inutilem, quin perniciosum reperit. Febris, quae operationem sequebatur, impediebat Cl^um^ BORTOLAZZI quominus statim ad alterius oculi curationem progrederetur, quam, etsi post XXVIII. dies omnia ab operatione relicta symptomata euanuerant, tamen post anni demum spatium aeque feliciter suscipiebat. — Altera dissertationis parte exponit auctor de optimis instrumentis, ad cataractae extractionem necessariis, acumque a WENZELIO (vid. *diss. medico-chirurg. de extract. cataractae. Par.* 1779.) descriptam reliquis omnibus anteponit; denique subiungit varias obseruationes, ex vtraque, hocce libello descripta, operatione natas. Sic v. c. illud in hac puella singulare deprehendit, quod ipsa statim post operationem finitam de magnitudine, distantia, ac positione rerum obiectarum recte iudicare poterat: quodque prius, quam oculo rectam imprimere directionem ipsi licebat, motus quosdam inuoluntarios atque inconstantes perficere cogebatur, id quod tamen haud adeo infrequens esse ii fatebuntur, qui eiusmodi operationi crebrius adfuerunt. Quod prius attinet, illud plane contrarium est obseruationi Cheseldenianae in *Philosoph. Transact. no.* 402. *p.* 447. enarratae. Etenim ille testatur, iuuenem caece natum post operationem distantiam corporum a se inuicem non potuisse finire; eas tantum res gratas habuisse, quae leuem offerebant superficiem; initio corpora tantum exigua potuisse intueri, quae ipsi admodum magna videbantur, visis vero maioribus, tunc prius conspecta statuisse minora: cum denique

etiam

etiam alterius oculi cataracta curata esset, omnes res obiectas, vtroque oculo visas, duplo maiores ipsi adparuisse, quam si vno tantum oculo vteretur. Quae quidem differentiae inter vtramque obseruationem occurrentes quomodo conciliari inuicem queant, viderint illi, quibus opportunitas frequentior contigit, ea, quae visu recuperato aegroti sentiunt, considerandi.

VI.

A Treatise on the diseases of the Eye, and their remedies; to which is prefixed the Anatomy on the Eye; the Theory of Vision; and the several species of imperfect Sight, by GEO. CHANDLER, Surgeon, London, by T. Cadell. 1780. pagg. 139. octon. mai. c. tab. 3.

i. e.

GEORG. CHANDLERI tractatus de morbis oculorum, eorundemque remediis; praemissa est oculi anatome, visus theoria, variaeque imperfecti visus formae. c. f.

Oculi vti tam subtilis atque miranda est structura, vt facillime a variis laedi vitiis queat; ita etiam ea est praestantia, vt omnem mereatur laudem, qui in praecauendis eiusmodi malis, aut iam praesentibus tollendis omne studium operamque consumit, exhaustique laboris praemium reperit, quod huic vel illi vitio medelam, vel certe lenimen, adferre possit. Inter hosce vero medicos an iure meritoque reponendus sit Noster, id est, de quo maximopere dubitamus. Etenim ea fere omnia, quae de morbis oculorum, illorumque remediis tanta cum breuitate disputat, vt, qui inde morbis

istis

iſtis curandis aptior reddi poſſe ſibi videtur, perlecto libello ſpe cecidiſſe ſua, haud temere conqueri debeat, ex aliorum ſcriptorum operibus hauſta ſunt atque expreſſa. Inprimis vero auctor compilauit HEISTERI chirurgiam, indeque, diligenter ſatis ſuae doctrinae fonte celato, aut leuiter et quaſi per tranſennam commemorato, expromſit, quae ad notionem morbi huius vel illius accurate formandam, ſigna et cauſas ſagaciter indagandas, curationemque feliciter inſtituendam apprime facientia, libello hocce continentur. Facillimum foret, id, de quo CHANDLERVM accuſauimus, ampla exemplorum copia comprobare, niſi metuerimus, ne, nimis larga meſſe inuitati, modum in colligendo excederemus, taediumque lectoribus crearemus. Liceat igitur tantummodo libelli argumentum, veluti in compendium miſſum, proferre, et quid auctori proprium ſit, diligentiſſime indagare.

Primo igitur capite continetur anatomica oculi deſcriptio, quae quamuis breuiter admodum de oculo in vniuerſum, eaque, qua ſapientiſſime a naturae auctore reconditus eſt, cauitate; de externis eius partibus; de bulbo, et quibus conſtat, tunicis, humoribus, neruoque optico; de vaſis ſanguiferis, lymphaticisque; de neruis denique, qui praeter opticum ad oculum transferuntur, exponat, tamen ſufficere videtur ad ea in memoriam iterum reuocanda, quae quis ex anatome vberius accuratiusque nouerat. Nihil enim aliud commodi exinde in lectorem redundaturum eſſe, facillime praeuidemus: isque, qui praeter ea, quae ab auctore de viſus organo partibusque illud componentibus expoſita ſunt, nihil cognitum habuerit, ne in oculi morbis curandis infeliciſſimo ſaepius vtatur ſucceſſu, haud temere veremur.

Secundum caput exponit viſus theoriam, et ita quidem, vt primum naturam virtutesque lucis expendat,

pendat, dein rationem tradat, qua viſus efficiatur. Tota de natura lucis diſputatio hisce verbis continetur: „Lux habetur ſubtiliſſima materia, quae p. 39.
„ex immenſo ſole originem trahit ſuam, incredibi-„lique celeritate (nam ſexageſima horae parte ſpa-„tium decies millenorum millium milliarium „percurrit) exinde per hocce diffunditur vniuer-„ſum: ad externam corporum ſuperficiem delata, „indeque ad oculum repercuſſa, corpora reddit „adſpectabilia. In luce igitur cauſa latet materialis „viſus.„ Locum hunc non propterea excerpſimus, quod noui quid, et antea inauditum contineret, ſed vt ſpecimen lectoribus exhiberemus, vnde ad doctrinam auctoris, rationemque ſcribendi concludi poſſent. — Inter virtutes lucis enumerantur *reflexio* atque *refractio:* et non niſi ea adferuntur, quae omnibus, qui vel primis labris phyſicen guſtarunt, non poſſunt non eſſe notiſſima.

Tertio capite tranſit auctor ad viſum imperfectum pertractandum. Quo quidem nomine intelligit „debilitatem viſus, ſiue illa ſit *abſoluta*, ſiue *relatiua*, ſine vlla opacitate corneae, aut internarum oculi partium.„ Quae notio quam vaga ſit, nolu- p. 52.
mus breuitatis ſtudio pluribus demonſtrare. — Ad viſum imperfectum refert *hemeralopiam*, *nyctalopiam*, *myopiam*, *presbyopiam*, *abſolutam viſus ineptitudinem* (an abſolute Dulneſs of Sight), *viſum obliquum* (h. e. illud oculorum vitium, quo res obiectae, linea recta ante oculum poſitae, minus perſpicue, illae vero, quae obliquo iacent ſitu, clare conſpiciuntur;) et denique *ſtrabiſmum*. (Omiſſum h. l. eſt illud vitium, quod interdum obſeruatum eſt, quo nempe aegroti colores nonnullos a ſe inuicem diſcernere nequeunt, quamuis ceteroquin viſu gaudeant acri. Cuiusmodi exemplum a SCOTTO relatum legimus in *Philoſoph. Tranſact. Vol. LXVIII.*

LXVIII. Pars I. et a RICHTERO in *bibl. chirurg. B.* 5. *p.* 637.)

p. 75 – Altera iam libelli parte morbos oculi, proprie
191. ſic dictos, enumerat, enumeratorumque cauſas varias, variamque medendi rationem pauciſſimis complectitur verbis. Haec ita ſeſe vere habere, patebit ex morborum pertractatorum catalogo cum plagularum, quibus deſcribuntur, numero collato.
p. 77 – Agit vero Noſter de palpebrae ſuperioris nimia
80. laxitate (laudat huic vitio curando aptum vnguen-
p. 80. tum ex mari Syriaci vnc. IV. cuius partes efficaciſſimae ſpiritus vini libris IV. extrahuntur: in hac ipſa tinctura ſoluuntur ſaponis libra vna, et camphorae vnciae IV. denique adduntur ſpiritus ſalis ammon. vnc. V. Hanc medicinam, aliquoties de die palpebrae vicinisque ſuperciliorum partibus infri-
p. 81. ctam, admodum efficacem expertus eſt;): de la-
p. 84. gophthalmo; de ectropio; de trichiaſi; de ancy-
p. 88. loblepharo; de variis tuberculis atque excreſcen-
p. 93. tiis palpebrarum, hordeolo, grandine, chalacio,
p. 98. verrucis, hydatidibus, ſteatomate, atheromate, meliceride, quas excreſcentias, inprimis poſteriores duas, ſi exiguae adhuc ſunt, Angli *Stys*, ſin ad magnitudinem ſatis amplam peruenere, *Wens* vocant;
p. 102. de puſtuloſa excoriatione atque exulceratione palpebrarum; (quando hoc malum aliquantum temporis durauit, cartilago tarſi veluti arcus quidam prominet, difficulterque ſanationem admittit. Hinc principiis obſta: morboque recenti venaeſectionem, pro inflammationis vehementia nunc largiorem, nunc pauciorem, aliaque remedia antiphlogiſtica opponit, ſequensque cataplaſma ſimul adhibet:

℞. Rad. Lilior. ℥ß.
Flor. Melilot. ſ. Sambuc. ℥j.
Croc. orient. ℈j.
M. Coqu. in aqu. comm. q. ſ.

add.

add. Sal. Ammon. gr. vj.
Farin. tritic. q. ſ. vt fiat cataplaſma.

Hoc linteis inuolutum oculo tepidum imponatur, bisque de die renouetur, donec palpebrae, tenſione ſublata, rugeſcant, atque relaxentur. Quo facto adſtringentia in vſum vocentur. Malo vero inueterato, palpebras mane veſperique hoc vnguento oblinit:

℞. Sacch. Saturn. ʒj.
Ceruſſ. ℈iv.
Camphor. gr. vj.
M. Conter. c. pauxillo oleo roſac.
add. Vngu. de Tutia ℥j.

Quando aegrotus hoc non ferat vnguentum, ad remedia lenientia e butyro recenti, non ſalito, oleo
blando et cera alba parata, confugiendum.) de lip- p. 105.
pitudine, immoderataque glandularum ciliarium
ſecretione; de epiphora; de cancro palpebrarum; p. 106.
de encanthide; de vngue, pterygio ſ. panno; de p. 107.
fiſtula lacrymali (ſi conſuluerimus egregiam RICH- p. 109.
TERI hoc de argumento diſſertationem. *commenta-* p. 111.
riis Soc. reg. Gotting. 1778. inſertam, videbimus, p. 116.
quantum CHANDLER. diſtet ab illo): de ophthal- p. 127.
mia; de phlyctaenis corneae et coniunctiuae; p. 141.
de abſceſſibus corneae; de vlceribus corneae atque p. 144.
coniunctiuae (*βόθριον, κέλωμα, ἀργεμὼν, ἐπίκαυ-* p. 145.
μα, ἔγκαυμα); de maculis et obſcuratione cor- p. 148.
neae tranſparentis; de ſtaphylomate; de hypo- p. 150.
pio; de concretione pupillae; de inflammatione p. 154.
choroideae tunicae; de cataracta. (Idem pretium p. 158.
huic breuiori diſſertationi ſtatuendum, quod RICH- p. 160.
TERVS *bibl. chirurg. to. III. p.* 559. libello eiusdem argumenti, ab eodem auctore 1775 ſub hoc titulo: *A Treatiſe of the Cataract, its Nature, Species, Cauſes and Symptoms*, edito, ſtatuebat; eſt ſcilicet tota ex HEISTERO, PLATNERO, YVESIO et WARNE-

RO

p. 179. RO ſatis negligenter compilata.) de gutta ſerena;
p. 183. de hydrope oculi; de abſceſſibus et denique de
p. 189. cancro oculi.

Quorum quidem morborum cenſus quamuis amplus ſit, nec optandum videatur, vt ſint praeter illos, qui interdum adhuc incidere atque miſeram hominum ſortem miſeriorem reddere poſſint; tamen omiſſi ſunt varii, qui prae multis aliis attentionem merebantur. Huc referenda eſt *exophthalmia*, h. e. illud oculi vitium, quo bulbus ab tumoribus in oculi cauitate natis, et ſenſim ſenſimque increſcentibus foras truditur: *excreſcentiae fungoſae*, in ſuperficie bulbi natae, quae ſaepius exſtirpationem bulbi requirant: de quibus LOUISIVS egregie ſcripſit in *Mémoires de l'acad. roy. de Chirurgie to. V.* vbi etiam de optima, oculum exſtirpandi, methodo agitur. Neque memini aliquid legere a CHANDLERO traditum de paralytica muſculorum bulbum mouentium adfectione, et quae ſunt ſimilia omiſſionis peccata. Quae cum ita ſint, nos non poſſumus non ſatis mirari, quod hic tam ieiune ac negligenter ſcriptus libellus in linguam traductus ſit vernaculam, niſi interpres illum praelectionibus de morbis ocularibus ſuper illum habendis idoneum iudicauerit. Verſio illa prodiit Lipſiae apud *Weygandum* 1782. octonis pagg. 200.

VII.

Syſtematic Elements of the Theory and Practice of Surgery by JOHN AITKEN, Fellow of the Royal College of Surgeons; one of the Surgeons of the Royal Infirmary, Member of the medical Society, and Lecturer on Chirurgical Anatomy and Pharmacevtic Chemiſtry in Edinburgh. Edinburgh 1779. 8. pagg. 574. ſine praefatione.

i. e.

i. e.

Elementa chirurgiae theoreticae et practicae. Auctore IOANNE AITKEN.

Praemissis nonnullis generalioribus definitionibus, prima parte nosologiam chirurgicam, secunda libri parte manualem chirurgiam comprehendit, atque propemodum tabulari et aphoristica methodo prosecutus est chirurgicos morbos, eorumque denominationes, synonymias, causas et curationes pertractat in prima parte, in altera parte autem et curandi viarum diuersitatem et rationem perpendit.

Quae cum nimis breuiter dicta sunt, nec nouas quasdam sententias proponunt, neque systematicum omnino ordinem sequuntur, plane non admittunt contentorum indicationem vberiorem, quapropter interest, vti nobis videtur, modo quaedam afferre exempla: igitur ex prima parte e. g. erysipelas proferamus, vt, secundum quas leges Auctor librum composuerit, appareat.

Erysipelas.
Erythema.
Ignis Sti Antonii.
Ignis sacer.
Erysipele.
Feu d' Antoine.
Feu du St. Antoine.
Feu sacre.
Rose.
St. Antony' Fire.
Rose.

Erythema, tumor sine febre, superficiarius, solitarius, diffusus, rubro-roseus, pressione euanescens. SAUVAGES.

Erysipelas, eruptio erythematis, cum synocha febri. SAUVAGES.

Eryſipelas, macula vrens, rubens, preſſione diſſimulanda, tumidiuſcula, ſuperficialis, dilatabilis, diſquamatione finienda. LINNEVS.

Eryſipelas, inflammatio lata cutis, quae ſplendet leuiter et aequaliter tumet. VOGELIVS.

Eryſipelas, ſynocha vnius vel duorum dierum, in cutis aliqua parte, ſaepius in facie erythema. CVLLENVS.

Eryſipelas, eruptio erythematis, cum febre continua; tumidula, ſuperficialis, diſquamabilis; ſiſtit nimirum maculas latas, amplas, ſubtumidulas; non ſuppurabilis. SAGAR.

Praeterea progreſſus morbi et curatio exponitur.

In altera parte de operationibus ſermo eſt. Sed cum et haec nimis breuiter et feſtinante calamo conſcripta ſunt, nec primam nec alteram partem ſcientiae magnam vtilitatem et incrementum afferre arbitramur.

Satis accurate compoſitus index huic libro finem imponit.

VIII.

Elements of the Theorie and Practice, of Phyſic and Surgery, by JOHN AITKEN, M. D. Fellow of the royal College of Surgeons, one of the Surgeons of the Royal Infirmary member of the royal medical Society of Edinburgh, member of the Society of Antiquaries of Scotland, Lecturer on the Practice of Phyſic and on Anatomy, Surgery and Chemiſtry in two Volumes. London 1782. Vol. I. pagg. 581. ſine praefatione. Vol. II. pagg. 606. ſine praef. 8.

i. e.

i. e.

Elementa therapiae et chirurgiae theoreticae et practicae, auctore IOANNE AITKEN, M. D. Vol. I. et II.

Propemodum ſimili ratione haec duo volumina conſcripta ſunt, ſicuti antecedens liber, ita, vt debeamus de his ipſis aequale ferre iudicium. Volumen primum proponit therapiam ſpecialem. Poſtquam enim auctor praemiſerit definitiones vniverſales phyſiologicas et pathologicas, et oblata epitome materiae medicae, morbos internos pertractat, eorumque definitiones, denominationes, ſpecies ex SALVAGIO, et aliis, cauſas et indicationes curatorias paulo curatius, quam in antecedente libro, diſquirit.

In altero volumine enumerantur externi morbi: alias alterum volumen nihil aliud eſt, quam libri ſuperius notati editio emendatior et auctior, et inprimis animaduertimus, noſologicam partem multum eſſe correctam et emendatam, cum e contrario operationes immo breuius deſcriptae fuerint. Sic etiam in noua hac editione multorum morborum fit mentio, quos omnino ſilentio praeterierat in prima, ita vt haec poſterior editio priori multum ſit anteponenda. Sic et ſermo de operationibus, quamuis breuior, tamen nobis magis, quam in prima editione, placuit. Index praeterea diligentiſſime conſcriptus his duobus voluminibus annexus eſt.

IX.

Modern improvements in the Practice of Surgery, by HENRY MANNING, M. D. London 1780. 8. pagg. 423.

i. e.

De nuperioribus in arte chirurgica factis emendationibus, auctore HENRICO MANNING.

 Cum

Cum huius libri auctor fere nihil noui proponat, ſed modo conterraneorum ſuorum dicta, et inuenta iam ſatis cognita et probata enarret, noluimus longam eorum repetitionem hisce noſtris commentariis inſerere. Pertractat autem propemodum omnes chirurgicos morbos, eosque curandi vias, recenſens BELLII, RANBY, BROMFIELDII, POTTII et aliorum methodos. Quapropter hicce liber, alias forte vtilis, non iis annumerandus eſt, qui ſcientiam vel emendant vel corrigunt.

X.

An Account of the Methods purſued in the treatment of cancerous and ſcirrhous diſorders and other indurations, by I. O. IVSTAMOND, F. R. S. and Surgeon to the Weſtminſter Hoſpital. Lond. 1780. 8. pagg. 176.

i. e.

Tr. de variis morbis cancroſis et ſcirrhoſis medendi methodis, auctore I. O. IVSTAMOND.

Diuiſit Auctor tractatum ſuum in partes tres, in quarum priore vlcera cancroſa et remedia ab ipſo in vſum vocata et medendi cancro vteri rationem pertractat, altera de ſcirrhoſis tumoribus exponit, et tertia mammarum abſceſſus et tumores examinat.

p. 9. In vlceribus cancroſis laudat inprimis liquorem compoſitum ex anatica parte martis et ſalis ammoniaci ſpiritu vini rectificatiſſimi ſoluti; cui miſcelae additur oleum vitrioli et tartari. Propriam huncce liquorem praeparandi methodum paulo inferius p. 112. deſcripſit. Quo liquore ter de die vlcerum
p. 11. irrorauit margines; mox vero ipſa vlcera; ſi autem vlcera peiora euadebant, et ſi dolores continuatio-

nem

nem impediebant, per aliquot dies eo non vſus eſt. p. 12.
Sic quoque tanquam internam medicinam aegris obtulit flores ſalis ammoniaci martiales a tribus granis bis de die ad drachmas tres et vnciam ſemis. Cum vero p. 19.
hicce liquor non omne malum tolleret, adhibuit quoque miſcelam ex anaticis portionibus arſenici, cupri, ſtanni et mercurii, ſuper quas ſpiritus vini et oleum vitrioli deſtillatum erat, et ſi dolores nimis increſcerent, decoctum capitum papaueris vlceri et cancro impoſuit. Quam methodum medendi poſtea pluries feliciter in vſum vocauit. Commen- p. 29.
dat quoque ex cicutae libris duodecim vel triginta balneum, idemque florum martialium vſum internum adminiſtrat. Porro in puluere combinauit p. 33.
arſenicum cum antimonio et opio, et, cum arſenico p. 35.
egregias vires ineſſe animaduertiſſet, ipſum interne ad granum de die cum puluere teſtaceorum commixtum, mox ad grana quatuor vel quinque in miſcela cum ſulphure exhibuit. Efficacia horum remediorum in variis caſibus varia erat. Remedia p. 45.
Comitis DE ARVNDEL ex arſenico et mercurialibus compoſita fruſtra adhibuit. Aerem fixum p. 55.
purgare vlcera cancroſa, vix vero eorum naturam immutare, auctor eſt.

In ſcirrho mammarum quoque liquorem ſuum p. 120.
et flores ſalis ammoniaci martiales laudat, neque ſpernit vſum continuatum balnei ex cicuta.

Mammarum abſceſſus denique et indurationes p. 164.
a lacte ſtagnante ſoluit ſolutione trium vnciarum ſalis ammoniaci in aquae fontanae menſura vna et anatica portione aquae Reginae Hungariae. Si p. 167.
mamma cum dolore tumet, in ſequenti formula anodynum cum ſale ammoniaco coniungit: Rec. Capit. papav. contuſor. no. XII. flor. ſambuc. Mij. Coque in aquae fontanae ℔ jß vſque ad ℔j: In colato liquore ſolue ſalis ammoniaci crudi ℥ij deinde adde camphor. in ſpiritu vini ſolut. vnciam ſemiſſem.

XI.

Obſeruations ſur une maladie d'os connue ſous le nom de necroſe, par Mr. DAVID, à Paris 1782. 8. pagg. 28.

i. e.

Obſeruationes ſuper necroſi oſſium, auctore DAVID.

Conſcriptus eſt hicce tractatus contra Clum BRVN, Chirurgum Tolutanum, qui plane contra obſeruationes DUHAMELII, BORDENAVE et TROIAE negauerat, nouum cylindrum circa emortuum formari. Et ipſe adfert Cl. DAVID exempla, vbi exſiccata et emortua fruſtula humeri. tibiae et femoris ex nouo cylindro arte et adminiſtrata ſectione
p. 9. muſculorum et oſſium exemit. Suſpicatur necroſin eſſe morbum perioſtei, quod inflammatum a materie oſſea expanditur, atque ita deſtruitur, vt in celluloſa naſcatur nouus cylinder oſſeus, cum e contrario antiquus cylinder a perioſteo ſeparetur atque emoriatur. Foramina fiſtuloſa, quae exterius apparent, a pure formata eſſe affirmat.

p. 14. Neque ita raro obuenit hicce morbus, vidit ipſum ſaepius. Enarrat eapropter exemplum, vbi partem emortuam oſſis, muſculorum ſectione facta atque oſſe deſtructo, exemerat, atque oſtendit commoda huius operationis, quae poſita ſunt in conſeruatione membri, ſicuti nonnullas praeterea adiungit regulas practicas.

XII.

ANDREAE BONN, Anatomiae et Chirurgiae in illuſtri Amſtelodami Athenaeo Profeſſoris, Commentatio de humero luxato, Lugd. Bat. et Amſtelodami 1782. 4. c. f. 4. pagg. 60.

Quae

Quae iam Belgice prodierat commentatio, hic latino idiomate cum erudito orbe communicatur, et partim experimentis in cadaueribus institutis, partim cognitione situs et motus musculorum anatomica eruditus, ostendit Cl. BONN saepe peccauisse chirurgos in diagnosi et curatione luxati humeri.

Docet nos anatomica humeri consideratio, ipsum subscapulari introrsum, infraspinato et terete minori extrorsum, supraspinato et deltoide sursum, latissimo dorsi et terete maiori retrorsum ferri. Impedit porro, vti perspectum est, supraspinatus, quominus deltoidis contractione humerus directe sursum adscendat; infraspinatus, celeriter antrorsum moto cubito, humeri caput retinet, ne excidat retrorsum ex suo sinu; subscapularis luxationi humeri antrorsum se opponit, vbi cubitus vi retrorsum seu extrorsum mouetur. p. I.

Propositis atque examinatis praecipuis de humero luxato sententiis eruditorum, quorum iam plurimi luxationem versus superiora et exteriora negant, atque comparatis variorum virorum sententiis, emendat lectionem in demonstrationibus anatomico-pathologicis Ill. CAMPERI Part. I. lib. I. §. 14. et quidem hisce verbis: *praestat Cel.* CAMPERI *adducere auctoritatem, atque veram eius, mecum communicatam addere sententiam, et emendationem verborum, quae in praestantissimo eius opere, errore typographico, irrepserunt, humerum nempe excidere*, nunquam in posteriorem, impedit acromium; „*quod de luxatione* in superiorem *intelligendum est*, „*ideoque legendum: excidit proinde humerus modo in* „*alam, modo in priorem partem, id est, sub pectorali* „*musculo, nunquam in superiorem, impedit acromium.* „*Forsan in anteriorem nunquam mouetur partem, nisi* „*postquam in ala aliquamdiu commoratus fuerit. Lu-* p. II.

„xatio in partem ſuperiorem penitus praecauetur, niſi „ſimul acromium et coracoideus proceſſus fracturam „ſubirent, quod raro contingit.„

p. 20. Mox varias humeri luxati obſeruationes recenſet, inter quas paucae ſunt, quae luxationem ver-
p. 21. ſus ſuperiora et exteriora admittunt. Et Auctor nec fractis ſcapulae proceſſubus humerum aſſurgere autumat; ipſo enim fracturae momento vim proceſſubus illatam humeri caput deorſum pellere contendit. Retrorſum luxati humeri vero exemplum mox enarrat: rhedarius nimirum, rhedam ducens circum longe eminentem arboris ramum, ſede ſua fere excuſſus, conſtrictis equorum habenis ſe ſuſtinuit, vnde humerum ramo impingens, luxatum habuit humeri caput retrorſum. Simili ratione etiam luxatio verſus inferiora, vel raro, vel
p. 24. nunquam accidit. Omnium frequentiſſime vero humerus introrſum et deorſum luxatur, cuius dislocationis exempla notantur quam plurima ab Auctore noſtro.

p. 35. Vt vero Auctor luxationis naturam adhuc curatius intelligeret, ipſam in cadaueribus, eleuato et retrorſum ducto brachio imitatus eſt, et experimentis hiſce inſtructus inuenit et agnouit tumorem ſub clauicula, foueam ſub acromio, deltoidis planitiem tenſam, brachium parte ſuperiore intortum, diſtantiam maiorem aut minorem anguli inferioris ſcapulae a coſtis, diſtantiam cubiti a corpore reliquo, olecranum antrorſum directum, bicipitis abbreuiationem, cubitum extendendi impoſſibilitatem, mobilitatem brachii non niſi retrorſum et antrorſum, vel parum ſurſum pro humeri introrſum luxati ſignis. Poſtea, ſectione inſtituta, inuenit, humerum per ruptam capſularem membranam inter muſculi ſubſcapularis et teretis minoris vtramque carnem ex articulo egredi. Idem in

in viuo homine euenire, demonſtrant exempla CHESELDENI, LOESEKII et aliorum, atque etiam nouae effictae cauitates articulares ad ſcapularum ceruices pone ſubſcapularem muſculum. Haec denique dicta confirmat exemplis ex cadaueribus cum luxatione demortuorum deſumtis, et ſectione in tali cadauere inſtituta, deſcriptione concinna atque erudite compoſita, et iconibus egregie muſculorum atque oſſium dislocationem atque articularis cauitatis difformem figuram illuſtrat. Quibus duo exempla ex Houiano muſeo addit. p. 40. p. 48.

Luxatur itaque humerus, plerumque eleuato brachio: excidit ex ſuo ſinu, inter muſculum ſubſcapularem et teretem minorem, rupta membrana capſulari: et luxatum caput ſiue in cauo axillae nudum haeret, ſeu pone ſubſcapularem deliteſcit.

Denique de diagnoſi, prognoſi et curatione exponit, quam in robuſtiore aegro machina Burmanniana a Cl. HVSSEM correcta fieri cupit. p. 55.

XIII.

LEONH. LVDOV. FINKE, Comitatus Tecklenburgenſis Phyſicus, de morbis bilioſis anomalis, occaſione epidemiae, cuius hiſtoria praemiſſa eſt ab an. 1776—1780. in Comitatu Tecklenburgenſi obſeruatis. Accedit duorum infantum mortis cauſa, per anatomen detecta. Monaſterii Weſtphalorum, apud Phil. Henr. Perrenon, 1780. 8. plagg. 12. demta dedicatione et praef.

Bilis imperium quam late pateat in corpore humano, quamue diſſitis inde in locis a natiua ſua ſede, eadem contaminata vel corrupta, aegritudines moleſtas pariat, aut ſaltem earum ſigna exponat,

ponat, beata iamtum cognouit antiquitas. Atque cum perquam multiplici, ſaepius admodum recondita forma incedere ſoleant mala ex hoc vitio oriunda, eo magis allaborauere praeſtantiſſimi artis doctores in tradenda eorum cognitione, diiudicatione et exſtirpatione; adeo quidem, vt vix aliquid hac de re dicendum ſupereſſe videatur. Nihilominus tamen viciſſitudo rerum humanarum variumque continuo viuendi genus noua quaedam in modo circumſtantiaue morbi producere queunt, notatu perquam digna, quamuis eius eſſentia eadem maneat. Inde ſane huius praecipue vaſtiſſimi generis morborum ſpecies et varietates nondum penitus exhauſerunt obſeruata practicorum, quin laude dignam emolumentisque abunde refertam operam facturi ſunt medentes, qui inſidiis vitiatae bilis ſingularibus latentiſſimisque perpetim inuigilauerint et animaduerſa ſua in publicos vſus conſignauerint. Egregie hoc praeſtitit Noſter, cui occaſio data fuit, epidemiam ex corrupta bile per quatuor annos Gueſtphalorum comitatum Tecklenburgenſem infeſtantem, vbertim obſeruare atque tractare.

p. 10. Primo omnium epidemiae exhibet hiſtoriam, inſimul vero incolarum regionis illius viuendi, cogitandi agendique morem breuiſſime refert.

p. 19. Tractationem ipſam autem in duas diſpeſcuit partes, quarum prima febrem hanc epidemicam deſcribit ſecundum ſtadia tria. Stadium primum, ex Auctoris ſententia, concernit minantis morbi ſymptomata, incurios per aliquot ſeptimanas, imo longius, vexantia.

p. 21. Stadium ſecundum in decurſu morbi poſuit. Febris interea, etiamnum ſine praeuiis aliis cauſis hic recenſitis, propter abundantiam materiae peccantis, vel virium defectum, vel contagio ſuſcepto, exſurgebat; non remittens, niſi aliquatenus circa veſpe-

vesperam. Causae interea atque phaenomena eius similia erant febris biliosae Lausannensis, a TISSOTO descriptae atque a BALDINGERO editae.

Aegrotantium autem ex hoc morbo aluum cum modo nimis clausam, vel nimis fusam, vel inter vtrumque positam obseruaret Auctor, tria inde huius morbi genera constituit et descripsit, causam proximam harum diuersitatum in materiae peccantis diuersitate ponens. Tutissimum erat tertium. p. 29. Cuiusque duratio longior, breuior, medicatione tamen finistre adhibita, certo in febrem putridam transiens, vel obstructioni viscerum, aut phthisi hydropique ansam praebens.

Tertium stadium in reliquiis, ab aliis sic dictis, p. 37. morbi posuit. Quas circa attente versandum, et praeprimis radicem linguae exactius inspiciendam curiosiusque examinandam esse, bene monet Noster: quandoquidem conspurcata adhuc viscido, plus minus colorato, necdum penitus subacti miasmatis in primis viis est indicium. Interea tamen eodem hic etiam abolito, potest adhuc fluidis corporis insinuatum contineri; vnde a pharmacorum debitorum omissione, praematuro tonicorum vsu, neglectu diaetae, refrigerio, animi pathematibus, aliisque causis, morbidis admissis facillima recidiua.

His subiunxit nonnulla rariora symptomata se- p. 45. orsim, quae inter obsurdescentia, procliuitas in insaniam; sanguis purus proluuiei aluinae admistus, cum dysenteria hic non confundendus.

Porro de complicationibus quibusdam exponit; vbi complicati morbi, ab anomalo probe distinguendi, ideam tradit et exemplis illustrat. Omnium vero complicationum pessimam tunc deprehendit Auctor, variolas: vix enim eleuatae quinto iam die sphacelescere incipiebant ex praesente iamtum bilis corruptione. Quare, cum plurimos infantes

infantes trucidarent, ad inoculationem confugit, ſicque educta prius biliosa ſaburra, dein plures ſeruauit.

Vna alteraque digreſſione morbi, magis metaſtaſin materiae acris redolentis, enumerata, paucis de criſi agit. Hanc nunquam vel rariſſime naturam ſibi relictam in hoc morbo perfectam, fidam, certam, atque ſecuram praeſtitiſſe dicit Noſter, atque propria experientia confirmatum vidit BAGLIVII aſſertum de minori iudicialium dierum in eodem valore. Praeter vias regias ſurſum deorſumque principali morboſae colluuiei patentes, nonnunquam etiam per ſputa, raro per ſudorem vel exanthemata chronica, per haemorrhagiam nunquam exterminatam animaduertit.

Medelam interea fecit et haec febris nonnullis aliis inueteratis malis; quae ſalubritas certe a quibusuis motibus febrilibus rite compoſitis et a prudente medico directis, exſpectari poteſt ac debet.

p. 61. Methodum medendi, ſecundum ſua tria genera, exponens, laudat Auctor eliminationem materiae morboſae bilioſae per ſuperiora, quam cito fieri poteſt: neque tamen crudam, ſed coctam; praeparatam nimirum atque diſpoſitam ita naturae actionibus vel pharmacis incidentibus ſoluentibusque viſcidum, vt ſequi poſſit. Et primo quidem generi cum aluo ſtipatiore, tartarum emeticum; alteri cum aluo laxius ſuccedente ipecacuanham

p. 68. magis conducibilem reperit. Adſtringentium vero et chinae vſum ad praeualentem debilitatem tollendam, niſi omnis impuritas e primis ſecundisque viis eliminata atque deleta fuerit, perquam noxium deprehendit, exemplisque ſiniſtri euentus commonſtrauit.

p. 77. Damnat, et merito quidem, timiditatem nonnullorum circa emeticorum exhibitionem, oſtenditque,

ditque; infantibus, grauidis, parturientibus, haemoptoicis, herniosis, imo iis, qui antea vomitum cruentum senserunt, prudente manu circumspectoque consilio eadem propinari posse, optimo cum effectu.

Inualuit nostris temporibus, omnem fere febrem, cum virium deiectione insigni coniunctam, putridam pronuntiare; inualuit pessimus mos, in commotionibus istis salutaribus naturae contra insidias sanitati integrae exstructas citra omnem rationem, ex consuetudine quasi, illico sanguinem per venam detrahere. Egregie ostendit Noster, p. 79. exemplisque corroborauit; febrem, si etiam lingua a bile corrupta, defoedata fuerit, inde non semper putridam esse, atque sanguinis missionem dolores aut alia quaedam incommoda quidem mitigare, simul vero tunc vires infringere, sicque a muniis contra morbificam materiam praestandis auocare.

Propositis abinde nonnullis, quae diaetam conualescentium recidiuarumque curationem spectant, ad alteram partem operis progreditur, quae de morbis biliosis anomalis agit. Hic in praemissa generaliori tractatione notionem huius conditionis morbi excutit, cuius tria data momenta eo redeunt, vt a materia biliosa prouenieus sub longe alia forma incedat, neque tamen expugnabilis facile sit, nisi antibiliosis remediis.

Huius census duo summa genera constituit Auctor, morbos nempe febriles et non febriles. Missis tamen febrilibus biliosae prosapiei intermittentibus, catarrhalibus et inflammatoriis, ab aliis celeberrimis viris, alio quamuis titulo, tractatis; primo febrem biliosam neruosam constitutionis epidemicae praesentis explicat. Descriptio eius quam ma- p. 101. xime cum HVXHAMI obseruationibus circa febres lentas neruosas conuenit, at putridum talem sanguinis

guinis ſtatum, quem Illius febres arguunt, Auctor nunquam in hac ſua febre reperit; quin recte demonſtrat, bilem circa praecordia haerentem etiamnum neruos ſingulari modo laedere poſſe atque in iſthac conſtitutione cauſam fuiſſe. Methodus medendi coincidit cum illa febrisilioſae regularis. Adnotat autem, nihil in hac magis nocuiſſe, quam venaeſectionem, praepoſteras etiam euacuationes morbum exacerbaſſe; idque idem exemplo euidente confirmat.

p. 110. Febrem bilioſam, pemphygodem VOGELIO dictam, in duobus ſubiectis vidit, et illorum de partibus ſtat, qui contendunt; materiam acrem viſcidam intra bullas ſuperficiei cutis collectam. e materia bilioſa in inteſtinis ſtagnante, huc transferri.

Febrem ſcarlatinam Gueſtphalis, ceu morbum endemium, familiarem eſſe, dicit Auctor: imo pandemium vidit in pago quodam, cuius incolae Fagopyrum quotidie in cibum ſumerent, placen-
p. 115. tisque inde frixis abuterentur. Huius interea commatis febris, in epidemia a Noſtro tractata, longe diſtabat a peſſima illa Cl[i] METZGERI Aduerſariis med. P. II. inſerta: originem enim debebat bili. Quamuis interea contagio non careret, nullum tamen interemit; quin recte adhibita medela facile curabilis, neque hydropem pediſſequam habens. Emetica et hic egregiam tulere opem.

Angina bilioſa abſentia tantum macularum corporis diſcrepauit a ſcarlatina; atque tuta minimeque longa fuit.

p. 120. Bilem corruptam ſanguini admiſtam, articulos afficere, HIPPOCRATES iam docuit: ſic etiam in conſtitutione epidemica a Noſtro relata obſeruabatur arthritica bilioſa; nequaquam tamen cum diſpoſitione ſanguinis inflammatoria. Laudat in exuberante viſcido cum bile degenerata; praemiſſa generali

generali antibiliosa indicatione, Kermes minerale, puluerem alterantem Plumierii, et in desperatis doloribus artuum, Calomel.

Inter morbos non febriles biliosos recensentur, tussis biliosa, linguae impuritatibus, hypochondriorumque, praeprimis dextri, in paroxysmo doloribus distinguibilis a reliquis tussis speciebus. Expectorantia pharmaca, et, veluti in omnibus biliosis, calidus potus, noxia maxime isthac in afflictione. E mala eius medicatione orthopnoea biliosa; at saepe etiam absque tussi praeuia; simili ratione euacuantibus, praeprimis per superiora, tractanda. p. 133.

Sic raucitas quoque, febris, vel scarlatinae, tussis, orthopnoeae biliosae, symptomaticus haud raro comes, saepius per hanc epidemicam constitutionem absque alia complicatione symptomatum, obseruabatur ab Auctore; neglecta, in orthopnoeam vel phthisin transiens.

De saliuatione ex causa biliosa, ab initio morbi, insignis cruditatis indice, ad finem eius accedente, salutari, casum refert. Sic etiam de stupore paralytico vnius pedis ex causa biliosa memorabilem historiam matronae sexaginta annorum subiungit. p. 145.

Agit postmodum sigillatim de anxietatibus anomalis biliosis, sine vlla febre. Has vere a materia biliosa peccante prouenisse, casu perquam euidente comprobat. p. 152.

Vbi deinde de haemorrhagiis ex causa biliosa exponit, solummodo species maxime insuetas excitat. Haemoptysin nimirum, cuius historiam attentione dignam refert, nec non de mictu cruento, de haemorrhoidibus. Denique et de obstructione vrinae ex causa biliosa, vbi binos casus recenset, viri circiter duodenonaginta annorum desperatissime ea decumbentis atque mulieris pro grauida inde habitae, euacuationibus bilis corruptae felicissime ex orci quasi faucibus ereptorum. p. 162.

Sequun-

Sequuntur pauca de morofitate ex caufa biliofa ceu fpecie morborum mentis et de prophylaxi, quae agmen claudit.

Quod mortis caufam duorum infantum ab vna matre natorum, qui, praeuiis fibi fimilibus symptomatibus, paucis a natiuitate diebus fatis cefferunt, per alterius fectionem attinet, accedit illa quam proxime obferuationibus ex cadaueribus infantum morbofis Cel. ROEDERERI in Programmate, Gott. 1758. euulgatis, et maxime quidem illis a VOGELIO in Bibliotheca medica T. IV. p. 965. inde excerptis.

Cuncta haec fic expediuit Nofter, vt euidenter inde patefcat cordatus, rationalis, et veterum recentiorumque doctrinis eruditus medicus practicus.

XIV.

CHRISTOPH LUDWIG HOFFMANN, *Sr. Churfürftlichen Gnaden zu Cöln geheimer Rath und Leibarzt, des Hochfürftl. Heffen-Caffelfchen und Münfterfchen medicinifchen Collegiums Direktor, Brunnenarzt in Hofgeifmar, der Caffelfchen Gefellfchaft der Alterthümer Mitglied u. f. w. vom Scharbock, von der Luftfeuche, von der Verhütung der Pocken im Angefichte, von der Ruhr, und einigen befondern Hülfsmitteln, nebft einer Nachricht von dem Zuftande und der Verbefferung der Arzneyverfaffung im Hochftifte Münfter während der Regierung Sr. Churfürftl. Gnaden* MAXIMILIAN FRIEDRICH, *Erzbifchofs zu Cölln, Fürften und Bifchofs zu Münfter u. f. w. Münfter bey Phil. Heinr. Perrenon.* 1782. 8. *pagg.* 306.

i. e.

De fcorbuto, lue venerea, modo arcendi variolarum

riolarum eruptionem a facie, de dyſenteria et aliis quibuſdam ſpecificis; accedit deſcriptio ſtatus et emendationis medicinae in epiſcopatu Monaſterienſi, ſub imperio Electoris MAXIMILIANI FRIDERICI, Coloniae Epiſcopi principis etc.

Cum hic liber vel maxime eo conſilio ſcriptus p. 38.
ſit, vt et Princeps et ciues Monaſterienſes certiores fierent de acceſſione, quam medicina habuit, inde a conſtitutione Collegii medici, cui Cl. Auctor praeeſt; quaedam de priſtino et praeſenti huius vrbis medicinae ſtatu ac conditione hac occaſione praemittit. Anno huius ſeculi ſexageſimo quinto, medicina tum rationalis, tum practica eius pars tam parum exculta erat, vt, praeter empiricorum cohortem, nemo adeſſet, cui vitam ciues tuto credere poſſent. Conſtituto nunc autem medico collegio, medicina non ſolum pura et ab omni ſuperſtitione commentisque libera in vrbem introducta eſt, ſed ea etiam ab impoſtoribus et hominibus circumforaneis ſumma cum cura repurgata, ſub huius Principis tutela, peritos dextrosque habet et medicos et chirurgos.

Poſtquam haec a Cl. Auctore explicata ſunt, ad p. 108
ſcorbuti naturam tranſit, cuius cauſam proximam conſtituit in ſucco, quo oſſa aluntur deprauato, eumque tum in oſſibus cylindraceis, tum latis corporis viuentis, eiusmodi acredinem contrahere poſſe dicit, vt oſſa et arrodere et eorum cariem producere poſſit. Huius ſucci corruptio cauſa eſt, cur non ſolum dentes, ſed etiam cetera oſſa tam fragilia in ſcorbuticis fiant, vt ſcorbuticorum vnus, qui in lecto cubans, in aliud latus ſeſe vertere volebat, os femoris frangeret. Clarius adhuc eluceſcit oſſium p. 113.

ſcorbuto affectorum fragilitas ex Cl. FRISII allatis obſeruationibus anatomicis, qui in ſcorbuticorum cadaueribus et ſternum et cetera oſſa infirma, omnesque oſſium proceſſus, praeprimis autem ſpinae vertebralis et extremitatum poſteriorum coſtarum, ita fragiles reperit, vt vix ſine fracturae metu a carnoſis partibus liberari potuerint. Quae cauſa erat, cur ex iis neque ſceletum componere, neque cetera oſſa ob badium aut liuidum colorem, quem ſemper vel in leuiſſimo ſcorbuti gradu obſeruabat, tam albida reddere poſſet, quam oſſa aliorum, hoc morbo non mortuorum.

p. 119. Nunc pergit Cl. Auctor in explicando ſcorbuto. Initium ſcorbuti non fit in dentibus ac gingiuis, ſed ſimul in omnibus oſſibus, ſucco nutritio vitiato; citius autem in ore, quam in aliis oſſibus fit conſpicuus ſcorbutus, propterea quod dentes ac gingiuae, magis, quam cetera oſſa, oculis patent, et
p. 122. maxime ſenſiles ſunt. Succus oſſeus deprauatus ſolus, ſine aliarum acrimoniarum praeſentia in corpore, materiam, quam ſcorbuticam dicunt, ſiſtit. Vitiatur autem et corrumpitur non in ſanguine, ſed in ipſis oſſibus, ad quae defertur, eo magis, quo maiorem in oſſibus remoram patitur: et ratione graduum corruptionis, quos aſſumere poteſt,
p. 128. varia etiam mala oſſibus inducit. Iam ſi reliqua organa excretoria corporis bene ſeſe habent, poteſt diu et ſine noxa ſanguini admiſceri oſſium corruptus ſuccus, quippe is et ſeparatur, et e corpore eliminatur, nihilque reliquo corpori nocet, praeterquam quod oſſa adgreditur, eaque fragiliora reddit. Eiusmodi hominum vrina et ſanguis propterea citius in putredinem abeunt, quam ſanorum, quoniam continuo deprauatus ſuccus oſſeus
p. 138. ad ſanguinem regurgitat. Gingiuarum tumeſcentiam

tiam oriri autumat ex tranſitu ſucci corrupti dentium ad gingiuas, quas acris factus, et vellicat et eleuat, opinaturque dentium ſic dictum tartarum, progigni ex putida illa mucagine dentibus inhaereſcente.

In ſcorbuto acuto quatuor periodos aſſumit. p. 145.
Prima periodus morbum futurum indicans, cernitur potiſſimum in ſingulari corporis laſſitudine, artuum grauitate, ſimulque mutato colore faciei conſueto. *Secunda periodus* cognoſcitur ex ſpiritu graueolente, dentibus, maxillis, et gingiuis vitiatis. In *tertia periodo*, ſi artuum articuli mouebantur, ſtrepitus percipiebatur, et oſſium dolor profundus maxime tibiae et fibulae; dolor ille noctu vehementer increſcebat, imo adeo interdum augebatur, vt dolentes partes ne leuiſſimum quidem attactum ferre poſſent. Gaſtrocnemii muſculi et ii, qui femoris os obducunt, duritiem aliquam adſciſcebant, quae cum articulorum rigiditate coniungebatur, ita vt aegri vix incedendi poteſtatem haberent. Praeterea ſpiritus aegre ducebatur, et in pedibus ac femoribus, rariſſime autem in extremitatibus ſuperioribus, prorumpebant maculae luteſcentes, liuidae interdum aut fuſcae, diuerſam habentes magnitudinem, nec ſupra ſe cutem eleuantes, nec perſiſtentes; nam mox euaneſcebant, mox priſtinum locum rurſus occupabant. Etiam in cruribus paſſim enaſcebantur vl- p. 150.
cera ſcorbutica, omnem ſuppurationem eludentia. Interne fungoſa erant, et ichore plena, et digitis vel tantillum contrectata, ſanguinem plorabant. Eadem fere ſymptomata exaſperabantur verſus *quartam periodum*, aliis adhuc interdum accedentibus. Alii tunc vexabantur doloribus rheumaticis et colica paſſione: alii perpetiebantur narium haemorrhagias aut haemoptyſes: pedibus oedematoſis

alii denique laborabant, non abeuntibus in ſphacelum. Atque haec dira ſymptomata nulla febris concomitabatur, aderatque ciborum appetitus ad vltimos vitae dies vſque, vbi aut febris accedens, aut diarrhoea colliquatiua ſuperueniens, aegrum repente necabat. Cadauerum ſectio praeter conſtantem oſſium mutationem et fragilitatem nihil certi aperuit, nam mox pulmones, mox hepar, mox aliud viſcus male affectum repertum eſt. Cutis maculas, quae interdum poſt mortem conſpiciuntur, ex corruptis cutis humoribus repetendas eſſe dixit.

p. 187. Dum cauſas occaſionales enarrat Cl. Auctor praeter cognitas et ab aliis nominatas, miaſma venereum et rhachitiden huc refert, egregieque in vniuerſum explicat, qua ratione allatae cauſae occaſionales, ſuccum, quo oſſa aluntur, deprauare va-
p. 206. leant. Omnes autem cauſae remotae, perſpirationem inſenſibilem impediendo, ſcorbutum inducere poſſunt, eaeque corpori admiſſae, eo celerius nocent, quo facilius perſpirationem inſenſibilem turbant ac ſupprimunt.

p. 235. *De cura ſcorbuticorum.* Si ex nimio vſu ciborum ſale conditorum ſcorbutus ortus erat, tunc aqua calcis vel ſola, vel cum lacte remixta, egregium vſum praeſtabat. Vbi nulla diaeta nec cetera medicamenta antiſeptica opem ferebant, certe tamen Calamus aromaticus et Sabina, quae iuxta CHAVETI experimenta cum ſanguine inſtituta, vi antiſeptica longe ſuperabant corticem peruuianum, et externe et interne exhibita, in oſ-
p. 256. ſium morbis ſat efficacia ſe praebebant. Ad mutandum aërem humidum, obuium ſaepe in noſodochiis ob hominum ſtipationem, ſuadet Noſter, vt arena ſicca pauimentum quotidie conſpergatur.
p. 264. Infuſum Maltae, et aëris fixi vſus nihil praeſtabant; contra

contra autem aqua calcis, in cuius vncia eadem inest arcendi putredinem vis, ac in ſcrupulo corticis peruuiani iuxta CHAVETVM, et acidum vitriolicum optimo cum fructu propinabantur. Sabina magis extrinſecus applicabatur, vel in forma balnei vel cataplaſmatis: Calamus autem aromaticus cum ſaccharo coniunctus, et ad duos ſcrupulos octies de die exhibitus, haud paruam aegris ferebat opem. Etiam cereuiſiae, qua vtebantur aegri, adiiciebatur Calamus aromaticus, imo vlcera eluebantur cum ſpiritu ſalis et Calami aromatici, addito melle.

De lue venerea. Hanc penitus exſtirpari poſſe p. 274.
ſibi perſuadet Noſter, modo adeſſent medicamenta ſpecifica, parum pretioſa, et cuilibet cognita, vt eorum vſu quisque ſe ſine medici auxilio ab hoc morbo liberare poſſet. Quare ad hanc rem perficiendam optat, vt medicamenta a ſe inuenta, et vt opinamur medicorum cuilibet nota, in officinis medicamentariis vendantur, eorumque legitimus vſus dilucide calendariis inſeratur. At cum ſua medicamenta ex mercurio ſublimato componantur, et ipſius mali natura interdum peritiſſimos artis fallere poſſit, nec omni in caſu ſemper mercurialibus opus ſit: ſine dextri medici adminiſtratione et diiudicatione, vix hunc morbum, praeſertim complicatum, hisce medicaminibus recte profligari poſſe putamus. *Variolarum* inſitionem commendat, et ad earum eruptionem in facie impediendam et facilitandam, eam aëri liberiori frigidiuſculo exponere iubet, ſimulque camphorae externum in variolis vſum in eo duntaxat caſu laudat, in quo miaſma varioloſum ad ſanguinem regreſſum eſt.

In dyſenteria, vt iam DIEMERBROECKIVS et p. 289.
VOGELIVS obſeruarunt, egregium vſum praeſtitit cera interne adhibita, quam vel cum ſyrupo communi, vel cum gummi Arabico, vel vitellis ouorum remix-

remixtam, aegris propinauit, adiecto ad saporis gratiam spiritu vitrioli. Hoc modo cochleatim sumta, medebatur spasmis et doloribus. In peripneumonia denique, inprimis vbi pulsus paruus et expectoratio suppressa erat, flores Benzoes cum camphora coniuncti egregium edebant effectum.

p. 296.

XV.

IOSEPHI MANIS OESTERREICHER, Physici nosocomii Veterobudensis, analyses aquarum Budensium, praemissa methodo Prof. WINTERL, Veterobudae 1782. 8. pagg. 283.

Quo magis certum est atque multis obseruationibus demonstratum, aquas aeque ac cetera naturae corpora, pro earum diuersa et indole et conditione, aut salutares aut nociuos producere posse in humano corpore effectus; eo laudabilius et gloriosius nobis esse videtur conamen eorum, qui, quum in indagandis aquarum partibus versentur, non solum earum intimiorem mixtionem nobis cognitam reddant, sed etiam sanitati prospiciant quam maxime, dum prodita earum natura impediunt, quo minus aliquis iis cum vitae periculo vtatur. Hisce rationibus motus aquarum Budensium examen suscepit, et quidem iuxta methodum, quam a Cl°. WINTERLO, suo olim praeceptore, acceperat. Hanc itaque methodum suo aquarum examini praemissam, ipse praedicauit post illam a Cel. BERGMANNO profectam, omni ex parte nouam, certiorem, atque reagentibus et principiis detectis ditiorem. Quare quid de reagentium praeparatione deque eorum applicatione proposuerit praecipui, id breuiter indicabimus primum, et quidem eo consilio, vt cognoscant inde Lectores quatenus per hancce methodum, aquarum peruestigatio illustrior

ſtrior facta ſit; deinde de ipſis aquarum Budenſium principiis exponemus.

Lixiuii ſanguinis praeparationem traditurus, p. 3. ſalem tartari et ſanguinem bouinum in crucibulo Paſſauienſi vrere ſinit. quod primum candefactionis ope, ab omni Molybdaena liberatum ſit; cum tamen idem, etiam vehementiſſimo igne adhibito, vix fieri poſſe putemus. Tincturas illas admodum ſenſiles vel ad acidum, vel ad alcali detegendum, vt, quae extrahuntur ex curcumae radice, fernambuco et heliotropio plane neglexit, neque acidum ſacchari in reagentium numerum recepit: contra autem ſolutio lunae alcalina, ſyrupus violarum et acidum tartari eſſentiale hic allata ſunt; quo vltimo vtitur Cl. Auctor ad liberandum ſal alcali minerale ab eodem vegetabili; quae tamen alcali purificatio nobis videtur eſſe nimis pretioſa. Quam adhibet aquam deſtillatam in ſuis tentaminibus, eam cum calce viva parat, et quidem ita, vt libris quinque aquae communis deſtillaturae, calcis viuae ſemilibram adiiciat. Alkohol vini ex quocunque ſpiritu inflammabili parare docet, omiſſo tamen eius pondere.

Si aqua in ipſo loco, in quo orta eſt, in examen p. 20. vocari nequit, methodum tradit, qua commode eiusmodi aqua ſine diſpendio particularum volatilium, in alium locum transferri poteſt. Antequam nempe vaſorum diuerſorum, in quibus eiusmodi aquam excepit, obturatio et translatio fit, vni lagenae, ad dimidiam partem tantum aqua repletae, ad aërem fixum, quem illa habet, vel figendum, vel potius conſeruandum, calcis aquam addit: alteri immittit acidi nitri fixi tantam portionem, quanta requiritur ad vnam ſpathi calcarei drachmam ſolvendam: Vitrioli viridis ab omni ochra puri vncias duas, cum aqua lagenae tertiae commiſcet; et praeterea adhuc, ſi quae aqua hepar ſulphuris red-

olet, ei pro ſulphurei aut maiori aut minori quantitate, cupri ſolutionem: ſi ea accenſi ſulphuris odorem ſpargit, argenti ſolutionem, factam in alcali volatili inſtillat, notatis tamen diligenter et aquae et reagentium ponderibus. *Fixum aërem*, quem principium nutritioni ſumme neceſſarium vocat, ope aquae calcis hoc modo cognoſcit: examinaturae aquae tam diu affundit calcis aquam recenter paratam, donec nulla amplius oriatur turbulentia. Iam requiruntur ad ſaturandam aquae copiam, quae 400 pollicibus cubicis par eſt, et ſtatim ſub initium lacteſcit ab affuſa calcis aqua, duo aquae calcis canthari, imo interdum ad octo, ſi examinanda aqua cum aqua calcis adhuc lacteſcit, aut limpiditatem rurſus recuperat; quodlibet granum praecipitatae terrae calcareae, accurate indicat pollicem vnum cubicum aëris fixi in aqua praeſen-
p. 28. tis. Materiei extractiuae portionem et indolem definire, perdifficile eſſe ait, quippe chemia regni animalis et vegetabilis nondum eo adoleuerit, vt ſucci alicuius ſpecies, qui quandoque minima in copia in aquis inſit, recte determinari poſſit. Cognoſcit itaque eius praeſentiam in aqua ex colore. Granum vnum extracti cardui benedicti, (de quo optandum eſſet, vt eius conſiſtentiam definiuiſſet) ſi in vitro albo diametrum octo pollicum habente, cum quadringentis pollicibus cubicis limpidiſſimae aquae commiſcetur, ea copia aquae, ratione coloris, a pura aqua adhuc poteſt diſcerni: ea autem plane excoloris fit ſi minor vitri diameter, aut ſi maiori aquae quantitate eadem extracti portio ſoluta
p. 31. fuerit. Niſi in quadringentis aquae pollicibus cubicis ſaltem grana ſex alcali volatilis inſunt, idem, etiamſi duo canthari aquae calcis affundantur, vix odore percipi poteſt; nec commode detegitur, inſtillata ſolutione cupri in alcali fixo parata.

Aërem

Aërem purum noluit cum BERGMANNO ita vocare, cum omnis alia aëris ſpecies pura, purus ſit aër; neque cum plures adhuc dentur dephlogiſticati aëres, eundem cum PRIESTLEYO dephlogiſticati nomine compellare; porro nec placuit Ipſi ignis aër a SCHEELIO ita nuncupatus, cum etiam phlogiſticatus aër, caſu inuerſo hoc nomen mereatur; nec denique reſpirabilis ab aliis ita appellatus, propterea quod plures adhuc aëres reſpirabiles ſint; quare huncce aërem nouo nomine inſigniuit, eumque aërem SCHEELII vocauit. *Phlogiſton* bonis et ſapidis aquis non eſt proprium, ineſt autem in quibusdam aquis, et optime cognoſcitur, ſi poſt aërem fixum expulſum, ſub deſtillatione immittitur recipulo drachma vna ſyrupi violarum, quem non ſolum ab omni phlogiſto volatili puro, verum etiam ab omni acido plene phlogiſticato, viridem colorem induere ait. *Phlogiſton purum*, ſi illud p. 47.
vnquam nudum occurrit, in talibus thermis praeſertim hoſpitari videtur, quae diutius, quam alia quaedam aqua, ad eundem caloris gradum calefacta, calorem ſuum naturalem retinent: eiusque optimum criterium eſt accuratiſſimum thermometrum. Iam diu operam fruſtra adhibuerat Cl. Auctor in inueniendo certo et indubitato reagente ad ſulphuris principium vel delegendum, vel definiendum, cum et cupri in alcali fixo aërato ſolutio id vitii habeat, vt vel ſola addita aqua ſtillatitia, praecipitetur: eadem autem cupri ſolutio omnem Ipſi ſpem expleuit, cum eam aëre fixo penitus impraegnaſſet, et eo impediuiſſet, quo minus aqua ſola quidquam praeſtare poſſet. Grana tria hac ſolutione obtenti praecipitati, indicabant vnius grani ſulphuris praeſentiam. Praeterea etiam alia ad- p. 53.
huc aëris genera noua in aquis latere poſſe ait, vt aërem hepaticum, antizymiacum, vitriolicum et putridum, de quibus quaedam nunc referemus.

Sub *aëre hepatico*, fructuosissimum illud thermarum principium intelligit, quod non solum ex odore suo, quem edit, graueolento, sed etiam ex effectu, quem producit in metallorum superficie, cognoscitur, dum eam, pro metalli diuersitate, variis coloribus obducit. Componitur hic aër ex sulphure et phlogisto: quod quidem phlogiston hic ad *aëreum* propterea relatum est, quoniam calore destituatur: foetorem nullum habeat: (nam probabile Nostro videtur foetorem illum, quem habet aër hepaticus, quique sub operatione quam maxime intenditur, eum tantummodo ab accedente aëre atmosphaerico repetendum esse) et inflammabilitatem suam aduentitio aëri atmosphaerico debeat. Vt sulphur in aqua suspensum manere possit, opus est, vt proportio phlogisti sit vt $\frac{1}{18}$, sulphuris autem vt 5; quae autem phlogisti copia, praesertim in thermis hepaticis limpidis, multo maior esse potest. Grana XV praecipitati, quod per affusam cupri solutionem alcalinam obtinetur, indicant huius aëris, absente scilicet omni hepate vero, suo charactere facile discernendo, pollices cubicos XXIV. At quoniam interdum fit, vt per hancce cupri solutionem, cum ipso cupro simul terrae ex aqua secedant, imo calor aquis sulphuratis proprius, cupri terram, fallentem viridi suo colore, vtcunque alcali, quo cuprum solutum est, aëratum fuerit, deiiciat: auctor est, vt hae terrae cum alcali fixo vegetabili calcinato, et ab omni metalli vestigio puro, quocum sulphur in hepar coalescit, separentur.

Aër, qui ex sulphure accenso egreditur, tanquam is vnicus esset, qui fermentationem impedire posset. *Antizymiacus* nominatus est. Hic aër plane non alterat cupri tincturam, quam tamen certissime turbat minimum aurae sulphureae vestigium. Quantitatem

tatem praecipitati nigri, ab aëre hocce ex ſolutione argenti alcalina deiecti, nondum certe definire potuit, propterea quod ille aër a vitriolico tantummodo gradu differat, et ob facilem cum aëre vitriolico mixtionem, in omni fere experimento ratione eius naturae et puritatis diſcrepet. Neque *aëris vitriolici* in aqua latentis veram copiam hucuſque definire et ſtabilire potuit, ob defectum apti et conſentanei reagentis. Ad principia fixa deliteſcentia in aquis, ex ordine quodam obtinenda, euaporationem maxime incertam eſſe dicit, putatque multas particulas ex aqua euaporando in auram abire, imo aquam per longum temporis ſpatium ebullientem, extrahere ex ipſo vitro ſalem alcalinum cum terris: id quod vix ac ne vix quidem accidere poſſe putamus, ſi euaporatio lenta, ſtudioſa et in vitro bene compoſito peragitur. *Putridus aër* cum aëre vitriolico tantam habet ſimilitudinem, vt eius aut vera ſpecies ſit, aut eam ſemper concomitetur. Conciliat hic aër aquis, dummodo nudus et idonea copia adeſt, foetorem, ſimilem ei, qui egreditur ex cannabe putrefacta: ſi eius quantitas autem in aquis minor fuerit, tunc decocti braſſicae odorem ſpargit. Aër fixus, ſub quo iſte aër interdum magna in copia latet, foetorem ei quidem, non tamen noxiam in corpus humanum vim eripit: imo aëris putridi in aquis praeſentia impedimento eſt, quo minus eae, vel maxima aëris fixi copia in iis ſimul praeſente, ſapidae reddi poſſint: hinc acidularum eſſentia non tam in aëris fixi praeſentia, quam in abſentia omnis aëris putridi conſiſtit, qui poſt expulſum aërem fixum cognoſcitur odore. p. 65.

Quod alii inde a longo tempore ſub tophi aut ſtalactitis nomine comprehenderunt, idem Noſter *terram pyriticoſam* vocat, et quidem propterea quod

eadem

eadem cum ſulphure et metallis, quae Ipſi ex pyritibus ortum habere videntur, omnium maxima occurrat quantitate. In huius terrae ſexaginta partibus reperiri ait triginta partes aëris fixi: nouem, terrae inuitriolabilis; viginti, terrae calcareae impurae; vnam denique partem terrae ſiliceae, et vix totidem ferri. Hanc tam compoſitam terram cognoſcit: 1) ex pleno ex aqua ſeceſſu vix prima ebullitione facta; 2) ex adhaeſione ad retortae latera; 3) ex proportionata terrae ſiliceae quantitate, quae remanet, ſi terra iſta cum acido ſalis ſoluitur. Nam ſi plus ineſt in drachma terrae pyriticoſae, quam granum vnum terrae ſiliceae, tunc ſigno eſt, huic eſſe admixtum aliquid *tophi granuloſi*, de quo deinceps exponemus: vbi autem ſilicea terra minori in copia deprehenditur admixta, ſuſpicio enaſcitur, huic ineſſe terram vel calcaream, vel magneſiacam puram, quas a ſe inuicem ſeparare docet.

p. 86. Reperit inſuper in quibusdam aquis et praeſertim in fluuiatilibus, *tophum ſecundarium*, ſecunda aut tertia euaporatione ex aquis ſecedentem, qui componitur ex $\frac{28}{80}$ aëris fixi; $\frac{14}{80}$ terrae argillaceae phlogiſticae; $\frac{5}{80}$ terrae calcareae verae; $\frac{14}{80}$ terrae ſiliceae; $\frac{19}{80}$ terrae cryſtalliſabilis; et $\frac{1}{80}$ ferri. Supereſt tandem, vt dicamus, quid ſub terra ſua, quam cryſtalliſabilem vocat, et topho granuloſo intelligat; *Illa* eſt terra calcarea impura, quae facile in cryſtallos abit, et quocunque alcali fixo, aut neutro volatili detegitur: *hic* autem ad ſalia relatus, differt in eo a granulis iſtis, in quae magneſia aërata ſub finem vltimae euaporationis recedit, quod ab acidis vel difficulter, vel prorſus non ſolui poteſt. Qui tophus autem ſolui poterat, exhibebat genuinam magneſiam, et ſiliceam terram, quae intacta manebat. Praefert ad indagandam calcem, tartarum

rum ſolubilem; quoniam acidum ſacchari, praeter terram calcaream, ſimul etiam magneſiae partem deiicit; tartarus ſolubilis contra, calcis terram in ſeleniten tartareum deturbat, cuius grana decem indicant tria grana terrae calcareae. Ceterum vehementer dolemus, quod illam, quam ſe habere dixit methodum promtiorem parandi acidum ſacchari ſine furno, nobiscum non communicauerit.

Praecipitationem terrae aluminoſae cum terra p. 101.
calcarea aërata ſe non potuiſſe efficere dixit, neque recte obſeruaſſe ZOLTANVM *), affirmantem, poſſe vnciam vnam terrae aluminaris per acidum nitri decomponi in terrae ſiliceae drachmas ſex, calcareae ſcrupulos quinque et aliae terrae incognitae ſcrupulum vnum, ipſumque acidum nitri ſub ſolutione mutari in acidum vitriolicum. Diſcrimen hic adducitur, quod intereſt inter magneſiam aquae paluſtris, magneſiam ſalis Sedlizenſis et magneſiam dephlogiſticatam. Vbi de numero et proportione p. 122.
ſalium ab euaporatione reſiduorum exponit, acidum phoſphori affirmat eſſe verum acidum vitriolicum cum principio fixo vitreſcibili laruatum, nec produci poſſe phoſphorum ex oſſibus, niſi accedat acidum vitriolicum: verum enim ſal mirabile ortum eſſe ex ſale ſodae et acido phoſphori.. Salis amari fatiſcentiam negat, et ſalia, quae cum materia extractiua coniuncta ſunt, phlogiſticata nuncupat. Quamuis omnem adhibuit operam et diligentiam in ſoluenda argilla tum ſalita, tum nitrata, cum ſpiritu vini; tamen neque haec, neque ſolutio magneſiae et ſalitae et nitratae in illo ſpiritu peragi potuit. Nunc accedit ad explorandam ſalium naturam. Acidorum in aquis exceſſum vix poſſibilem eſſe dicit; decurrentes enim aquae ſuper

*) D. IOS. ZOLTAN Diſſ ſiſtens analyſin et naturam terrae aluminaris, habita Traiecti ad Rhenum.

per terrarum abſorbentium ſtrata, idem perdunt, dum ſtatum medium induant: contra in iis ſaepe alcali excedit, quod cognoſcit ex eius ſapore et cum acidis commiſtione. Ad acidum vitriolicum in aquis cognoſcendum, non cum BERGMANNO terram ponderoſam ſalitam, vtpote nimis pretioſam, ſed plumbum nitratum adhibet, et ex multis appoſitis experimentis cum ſpatho ponderoſo aeque, ac cum plumbo inſtitutis, probare annititur, terram plumbi, ab illa ſpathi non differre. Sed quae hactenus expoſuimus de methodo a Cl° WINTERL praemiſſa, ſufficient, cum nunc ad ipſum aquarum Budenſium examen tranſeundum nobis ſit.

p. 175. In colligenda aqua pluuiatili eodem et apparatus et methodi genere vſus eſt Cl. OESTERREICHER quo Cel. MARGGRAFIVS: attamen vt eius aquae celerem putredinem et relictum adhuc poſt euaporationem colorem fuſcum euitaret, aquam ſuam poſt triplo longiorem imbrem, continuo cadentem, excepit. Examen cum aqua pluuiatili inſtitutum docuit, nullum in ea ineſſe aërem fixum, phlogiſti tamen in quouis cantharo $\frac{1}{32}$ gran, quod vt Cl. Auctor putat, cum aëre SCHEELII alioquin puro vocato, coniunctum, aërem inflammabilem conſtituit. Vehit praeterea eadem aqua in cantharo, non ſolum aliquam gelatinae aquatilis portionem et ſiliceae terrae granum vnum et $\frac{3}{4}$: ſed etiam tartarum vitriolatum, alcali fixum vegetabile, et terram argillaceam.

Fons Schüllerianus, qui Budae eſt, viginti octo grana nitri priſmatici in quouis cantharo habet; ab eiusque aquae incoctione multum lucri ſperat, modo ſi ligna ad excoctionem ſuſcipiendam neceſſaria, viliori pretio hac in regione comparari poſſent. *Riuulus molendini pulueris pyrii* poll. cub.

XXI

xxi. aëris fixi, pollices duos aëris puri et phlogiſti fixati $\frac{9}{640}$ in cantharo tenet, admixtis inſuper quibusdam ſalibus et terris. *Riuulus molendini ad Rotam* $4\frac{1}{2}$ gr. magneſiae et xxviii. poll. cub. aëris fixi in cantharo recondit.

Thermae Caeſareae ſcaturientes inter ſuburbia *Landſtraß* et *Neuſtift* tantum calorem habebant, vt thermometrum, quod ſpiritu vini colorato impletum, et a puncto congelationis ad punctum vſque ebullientis aquae in 100 gradus diuiſum erat, ad 51 gradus eleuare valerent: habebant praeterea xxxiii. poll. aëris fixi, $3\frac{1}{6}$ ſalis mirabilis, et totidem fere ſalis communis in cantharo. *Aqua ſtiptica* p. 252.
territorii Sariſap, nullum omnino aërem fixum habens, aliis potiſſimum materiis ſcatet: quiuis enim aquae cantharus in ſe recondit grana xxii ſelenitis; aluminis per ſe cryſtalliſabilis gran. xx$\frac{2}{3}$; ochrae ferri vitriolatae gr. xii$\frac{1}{2}$, et ſalis amari cum materia extractiua gr. vii. At nolumus longius Budenſium aquarum examina perſequi, cum ceterae aquae fere omnes, ratione materiarum, quas vehunt, a ſe inuicem parum recedant; igitur ſatis eſt dixiſſe, pleraſque aquarum Budenſium, magnam copiam aëris fixi ſalis communis magneſiae et ſelenitis habere; plurimis contra deficere ſal alcali et aërem putridum. Supereſt tandem, vt aliquid de *acidulis Füretienſibus* adiiciamus. Hae enim ſcaturientes in *comitatus Szaladienſis* extrema parte, quae contigua eſt lacui *Balaton* et comitatui *Veſzprimienſi*, ob ſingularem, quam habent, aëris fixi copiam memorabiles ſunt. Inſunt in cantharo harum acidularum clxii poll. cub. aëris fixi, quae copia nec in Spadanis, nec Selteranis, nec Pyrmontanis reperitur, neque etiam vix arte poteſt tanta in copia aquis admiſceri; porro ferri liberi $\frac{11}{12}$, terrae pyriticoſae gr. xxvij, magneſiae $4\frac{1}{8}$, phlogiſti liberi $\frac{1}{10}$ ſimul

cum

cum pauca aëris putridi copia; maiori contra aëris vitriolici et inflammabilis quantitate ditatae sunt. Aërem istum, quem Cl. Auctor inflammabilem vocat, quamuis non amplius flammam concipit, non ita nominaremus. Praestant hae aquae ob aëris copiam egregium vsum in iis potissimum morbis, qui ex muco accumulato ortum habent: opitulanturque omnibus calculosis. Medentur denique viscerum obstructionibus, praestant in tophis podagricorum resoluendis, et imbecilla corpora egregie roborant.

XIII.

Allgemeine Naturgeschichte der Schildkröten, nebst einem systematischen Verzeichnisse der einzelnen Arten, mit 2 Kupfern, von JOHANN GOTTLOB SCHNEIDER, *Lehrer der Beredsamkeit und Philologie zu Frankfurt an der Oder. Leipzig, in der Joh. Gotfr. Müllerschen Buchhandlung,* 1783. 1 *Alph.* 3 *Bog. in* 8.

i. e.

Historia naturalis testudinum generalis, et specierum singularum descriptio methodica, cum tabulis duabus aeri incisis, auctore IOH. GOTTL. SCHNEIDER, Prof. Eloquent. Francofurtano.

In hoc amphibiorum genere tirocinium feri historiae naturalis studii deposuisse profitetur Auctor, eo quidem consilio, vt primum corporis habitum, generi testudinum vniuerso communem, deinde notas partium vel externarum vel internarum familiae alicuius, quarum tres constituit, marinarum nempe, fluuiatilium et terrestrium, aut singulis speciebus peculiares et proprias, quibus a Scri-

a ſcriptoribus ſyſtematicis hodie inuicem diſtingui ſolent, diligentius exquireret, quo certius de charactere totius generis conſtituendo, eoque affinitatis-gradu, quo cum reliquis amphibiorum generibus, cum vniuerſa piſcium, auium et quadrupedum gente teſtudines coniunctae cohaerent, iudicari poſſit. Examen ſingularum partium ſtatim ab externo corporis habitu, teſtae, capitis, pedum caudaeque conformatione et ſtructura, id eſt ab oſteologia, orditur, ſuadente ipſa rerum natura; quae molles easque vitales teſtudinum partes cruſta dura oſſiumque tegmine externo abſconditas in tuto collocauit. Exinde ad diſquiſitionem internarum partium progreditur, atque vbique veterum ab ARISTOTELE vſque ſcriptorum et recentiorum deſcriptiones vniuscuiusque partis, viſcerum atque inteſtinorum diligenter comparat, emendat atque illuſtrat, quo accuratius familiarum ſpecierumque ſingularum notas conſtituat. Ducem anatomici huius examinis ſequitur ſcriptorem Italum CALDESI, qui genus et fabricam teſtudinum praeclaro commentario tabulisque aeri inciſis illuſtrauit; cuius verba in vernaculam linguam ex Italica translata diſquiſitioni vniuscuiusque partis praepoſuit, iiſque reliquorum vel antiquiorum vel recentiorum ſcriptorum obſeruationes inſtar commentarii adiunxit, habita vbique, quantum fieri potuit, temporum familiarumque ratione, earumque differentias indagauit, diſtinxit atque explicauit. Denique ſingularum partium anatomicae deſcriptioni addidit vſum, qui quidem cum victu, vita et moribus teſtudinum arctiſſimis vinculis iunctus cohaeret. Itaque de coitu, procreatione, victu, latitatione hiberna, atque vniuerſe de moribus et vita totius generis obſeruationes virorum doctorum et curioſorum ex multa et varia lectione collectae per

 totum

totum librum difperfae atque anatomicis partium fingularum defcriptionibus adiunctae reperiuntur. *Orbicularem* LINNEI *teftudinem*, noftris regionibus incolam a natura vnicum ex toto genere additum, Auctor ipfe anatomico cultro diffecuit et diligenter perfcrutatus eft; qua quidem opera effecit, vt accuratiorem vteri atque ouiductus gemini, quemadmodum etiam membri virilis, pulmonum mufculorumque quorundam notitiam traderet, quam a viris doctis adhuc factum eft. Sed in ftructura neruorum, plerorumque mufculorum, atque inprimis cerebri enarranda defideratur etiamnum opera virorum doctorum. Quam quidem lacunam vt doctiores anatomici aliquando expleant, optandum eft vehementer. In capitis ftructura explicanda praecipuam Auctor operam impendit. Animaduerterat enim, plerosque hiftoriae naturalis fcriptores poft LINNEVM in tradendo generis teftudinum charactere magnopere lapfos effe, cum maxillas edentulas veluti notam certam et toti generi communem ponerent, quae tamen paucis admodum fpeciebus tribui poteft. Quamquam iam olim Italus CALDESI terreftrium multarum teftudinum maxillas dentibus feu incifuris armatas effe obfervauit; reliqui tamen omnes, qui eum infecuti funt, fcriptores vel negligentia, quod maxillas ipfi diligentius infpicere atque examinare omiferant, vel ignorantia, quod pauci librum Caldefianum vel vidiffe videntur, dentium vfu teftudines omnes prorfus carere affirmarunt. Poft Italum CALDESI primus WALBAVM repertam forte in gazophylacio aliquo viri docti teftudinis marinae caluam, quae maxillas pluribus dentium ordinibus exaratas habebat, defcripfit, et nomine caluae cum roftro anferino in Chelonographia fua indigitauit. Propter aliquam fimilitudinis fpeciem, quae huic caluae cum

cum capite teſtudinis marinae a doctiſſimo Gallo FEUILLE'E picto et deſcripto intercedebat, in eam vir doctus ſuſpicionem deducebatur, vt caluam ſuam ad Teſtudinem viridem olim pertinuiſſe crederet. Quam eius ſuſpicionem Auctor certiſſimis argumentis confirmauit. Reperit enim integrum exemplum *Teſtudinis viridis*, quae LINNEO barbaro nomine Mydas dicitur, in muſeo Blochiano, quod diligentia inſpectum prorſus cum deſcriptione caluae Walbaumianae conuenire animaduertit. Quapropter totum caput ipſasque maxillas dentibus varie exaratas pictori delineandas tradidit; quae pictura in tabula altera lectorum oculis eſt expoſita. Deinde forte incidit in librum manu PLVMIERII ſcriptum, variis animalium Americanorum picturis et deſcriptionibus exornatum, et bibliothecae Blochianae cimelium; in quo proſtat etiam deſcriptio anatomica teſtudinis eius, quam Galli *franche* appellant, accuratis atque elegantibus picturis a manu PLVMIERII illuſtrata. Hanc quidem deſcriptionem ſtatim intellexit eandem eſſe, quam FEVILLE'E in libro ſuo poſuit; ſed picturae, quae capitis diſſectionem illuſtrarent, in libro manuſcripto PLVMIERII deſiderabantur. Magna igitur furti ſuſpicio cadit in Gallum FEVILLE'E, quem folii vnius defectus in libro manuſcripto, quemadmodum etiam totius deſcriptionis plane eiusdem argumentum et tenor arguit, alienas opes illiberaliter ſibi arrogaſſe. Sed in anatomica ventriculorum cordis explicatione mutauit quaedam, partium, vt videtur, Duverneianarum ſtudioſus FEVILLE'E, vt inſtituta verborum ſingulorum comparatione vidit et docuit Auctor. Verum enimvero nec in hac quidem capitis a teſtudine viridi reſecti pictura vlla dentium veſtigia apparent; ita vt credere fas ſit, PLVMIERIVM non nimis dili-

 genter

genter maxillas inſpexiſſe, aut in pictura aberraſſe, aut ſpeciem *franche* dictam a viridi prorſus eſſe diverſam; a qua tamen opinione Auctor longe alieniſſimus eſſe videtur, qui PLVMIERII negligentiam hic arguere mauult, quam multi etiam alii ſcriptores in ſe admiſerunt culpam. Cum teſtudine viridi integrum etiam teſtudinis Carettae exemplum comparauit, atque vtriusque ſpeciei notas diligenter poſt doctiſſimum WALBAVM diſtinxit, qui duo exempla Carettae viua diſſecuit, atque accurate, nulla tamen cum viridi, quam nondum viderat, ſpecie facta comparatione, deſcripſit. Hanc vero poſteriorem, Carettam, roſtro accipitrino inſtructam, maxillarum dentibus prorſus carere vidit. Dentium quidem nomen hae maxillarum oſſearum inciſurae eodem iure merentur, quo dentes piſcium amphibiorumque multorum dicuntur, quamquam alueolis mobiles non inhaerent. Hos igitur dentes, pro varia eorum figura, ſitu, numero atque ordine, cum forma ipſius roſtri et totius capitis, tegminis oſſei eique ſuperinducti corii cum numero et figura forulorum oſſeorum et coriaceorum, (foruli enim corii a forulis oſſeis numero et figura admodum differunt) denique ſtructuram et formam pedum, vnguium, caudae, ad notas non ſolum familiae, ſed vnicuique etiam triplicis familiae ſpeciei diſtinguendae aptas refert Auctor; vbi tamen cauendum monet, ne ſingulatim ad aliquam partem, ſed ad omnes ſimul earumque conuenientiam inter ſe et conſtantiam potius reſpiciatur. In fine adiectae ſunt ſingularum ſpecierum notationes et deſcriptiones, partim verbis latinis methodo Linneana breuiter conſignatae, partim ſermone vernaculo paulo vberius digeſtae. Specierum numerum Auctor ad octauam et decimam vſque auxit, quarum tamen vix partem dimidiam rite exploratam

tam et descriptam esse confitetur. Nomina a LINNEO imposita partim mutauit, quaedam immutata reliquit. Mutatorum vero nominum hanc edit rationem, quod pleraque nec graeca, nec latina, sed barbara essent, vel nihil prorsus significarent (cuius rei manifestum est exemplum in Myda, quod vocabulum ignorantia AVG. NIPHI ex graeco ἐμύδες, quo palustres testudines notantur, deprauatum est); vel denique quod pluribus speciebus aut familiae alicui communia esse deberent; veluti orbicularis nomen plerisque omnibus fluuiatilibus convenire reperitur. Itaque ipse noua specierum nomina ex graeco vel latino sermone translata, et secundum regulas grammaticorum expressa, vel ad similitudinem eorum nominum, quibus a patriae suae incolis indigitantur, formauit, vel ad significandum peculiarem aliquem et proprium characterem accommodauit. Mydam LINNEI *viridem*, Carettam eiusdem *Cephalonem*, orbicularem LINN. *Europaeam*, scorpioidem LINN. *fimbriatam* nominauit. Nouas autem species, quas a LINNEO male omissas, aut cum aliis confusas, aut denique post vltimam systematis Linneani editionem vulgatas addidit, *ferocem*, *fluuiatilem*, Carolinae prouinciae incolam, a GARDENIO detectam, molli crusta, coriaceae marinae instar tectam, *squamatam*, itidem fluuiatilem, Indiae orientalis incolam, atque iam olim a BONTIO descriptam, et a LINNEO cum imbricata, marina, confusam, *Caspicam*, a GMELINO non satis accurate notatam, *Indicam*, a PERALTO dudum dissectam, atque omnium optime enarratam, ipse ex certis rerum aut patriae argumentis appellauit. Si quae praeterea testudinis alicuius nondum satis notae vel non satis certa vel diserta notitia alicubi latitabat, eam verbis auctorum plerumque seruatis familiae, ad quam pertinere vide-

 batur,

batur, in fine subiunxit, quo facilius a futuris specierum nouarum auctoribus reperiri et ad suam cuiusque naturam referri posset. In marinarum testudinum familia vnguium numerum, quo vna cum forma testae LINNEVS species distinguere conatus est, nondum satis exploratum esse monet; ideoque magis ad capitis rostrique formam, maxillarumque habitum respicere suadet. Deinde non vana esse videtur auctoris suspicio, maritos etiam in hoc genere amphibiorum pluribus corporis notis a feminis differre; quam quidem discrepantiam certissimis obseruationibus atque argumentis in testudine LINNEI orbiculari demonstrauit. In testudine coriacea maxime fluctuat Auctor, dubius, omnesne auctorum descriptiones ad vnam eandemque, vel ad diuersas species referendae sint, atque illae notarum discrepantiae satis insignes scriptorumne negligentiae, an corporum diuersitati tribuendae sint. BORLASSE, cuius librum Auctor ad manus non habuit, cum ista scriberet, coriaceam suam porcis aculeatis septem exaratam, pedibus pinniformibus sex, carneis, mollibus, compressis instructam, absque squamis atque vnguibus, pinxit. Colorem superne coeruleum liuentem, in ventre et collo rubrum cum maculis obscuris tribuit. Testam cum coriacea RONDELETII conuenire affirmat; numerum pedum senum ad fidem piscatorum refert. Speciem quidem pedum sex animal pronum praebuisse, sed propter immensam molem commode inuerti non potuisse, vt rem diligentius exploraret. Figura quarta Tabulae XXVII testudinem hanc rudi et nimis minuta pictura cum sex pedibus expressam sistit cum nomine *the spinous tortoise*. Porro duae istae species, quas Auctor ex libro BROWNII sibi nondum viso laudat, adeo leviter obscureque a BROWNIO descriptae sunt, vt certi

certi aliquid de iis conſtituere non audeamus. Multo vero minus ipſae picturae coniecturam lectoris adiuuant; pigmentorum enim lumine, non lineamentorum ſubtilitate, laudem quaeſiuit pictor. Hoc tamen apparet *cineream* teſtudinem a BROWNIO appellatam, quam figura prima et ſecunda pronam et ſupinam ſiſtit, ad fluuiatilium, alteram vero *mediterraneam* dictam ad marinarum pertinere familiam. Haec poſterior mare mediterraneum vna cum coriacea habitat; alterius patriam ignoramus. Teſtudo ſquamata, quam LINNEVS iniuria ad imbricatam, marinam, retulerat, ſquamis minutis, piſcis inſtar, tecta, magna ſimilitudinis ſpecie conuenire videtur auctori cum Mane LINNEI ex genere quadrupedum, et cum lacerta orbiculari Mexicana, adeoque vinculo aliquo nouo colligare genus teſtudinum cum quadrupedibus et lacertis. Minorem affinitatis gradum obſeruaſſe etiam ſibi viſus eſt cum genere Tetraodontis et Diodontis Linneano, cuius quaedam ſpecies maxillas oſſeas integras, acutas, pyxidatim ſibi iunctas, et fauces aculeatas habent, et denique dormitantes pondere ſuo maris vndis innatant. Membranaceam teſtudinem a BLVMENBACHIO pro noua ſpecie venditatam ad dubiarum numerum cum multis aliis, quarum tegumenta ſola aut exempla nimis tenella aut ſpiritu vini corrugata et deformia deſcripſit WALBAVM, relegauit. Poſtquam enim accuratius eam per amicum inſpexerat, pedes non pinniformes, ſed palmatos ei eſſe comperit; ex quo vna cum funiculo vmbilicali propendente adhuc et foetum recens natum arguente, animaduertit membranaceam ad fluuiatilium familiam eſſe referendam, ſi, de quo tamen dubitat, noua ſpecies haberi debeat. Quo liberius vero eſſet lectori iudicium, ipſum animal admodum minutum per vi-

 tri

tri tranſparentiam delineatum propoſuit in Tabula prima. Praeter alia ſcitu digniſſima experimenta reſtat etiam, vt in poſterum accuratius in modum concubitus, tempora excludendorum ouorum, primamque foetus enucleati nutritionem per vmbilicalem funiculum inquiratur, quo certius de illis affinitatis gradibus, quibus teſtudinum genus cum auibus, piſcibus, quadrupedibus et reliquis amphibiorum generibus coniunctum eſt, iudicare liceat. Deſinemus in obſeruatione ſingulari, quam de teſtudine aliqua marina ſexus feminei propoſuit vnus GOTTWALD, de cuius opera Auctor non nimis honorifice ſentire videtur. Is reperit cauernam ſatis amplam infra vaginam vteri communem ſitam, exitu ſupra anum patente, quam condendis ſeruandisque ouis deſtinat, donec in opportuno litoris loco deponantur. Mirum eſt, hanc a nemine, praeter GOTTWALDVM, cauernam eſſe annotatam; verumtamen, ſi bene eam vidit vir doctus, de cuius fide multo minus, quam de diligentia, dubitari poſſe videtur, putamus eam cauernam referre folliculum Fabricianum dictum in auibus, quibus hucuſque proprius credebatur. Hunc vero folliculum pluries in auibus ipſi obſeruauimus, plerumque glandulofum, et materia vnguinoſa, quemadmodum in ouiductu accidere videmus, refertum, exitu ſupra anum patente. In vtroque igitur animalium genere eundem iſte folliculus vſum praebere, atque in teſtudine nouam ſimilitudinis ſpeciem cum auibus prodere videtur.

XVII.

Tabula affinitatum animalium olim academico ſpecimine edita, nunc vberiore commentario illuſtrata, cum annotationibus ad hiſtoriam naturalem animalium augendam facientibus,

tibus, auctore IO. HERMANNO, M. D. et Prof. Argentorati 1783. Impensis Ioh. Georg. Treutel. pagg. 370. in 4.

Hanc vetustissimorum etiam philosophorum de vniuersae naturae consensu rerumque naturalium variis inter se nexibus catenae instar cohaerente et continuata serie doctrinam repetitam varioque obseruationum genere atque argumentorum confirmatam tabula etiam typothetarum formulis et lineis expressa illustrauit egregie doctissimus Auctor, ita vt omnes animalium classes et ordines diligenter peruestigaret, eosque affinitatis gradus, quibus omnia inter se genera nexa cohaerent, solerter distingueret atque oculis lectorum exponeret. Hac vero opera, ardua sane et difficili, illud inprimis consecutus est, vt de finibus generum Linneanorum accuratius iudicare, pluriumque specierum dubiarum cum variis generibus connexionem animaduertere, iisque certiorem aliquam sedem in Systemate Linneano assignare posset. Etsi vero in vniuersum strenuum se Systematis Linneani defensorem praestat, quod adiuuandae memoriae comprehendendaeque animo immensae rerum naturalium multitudini admodum aptum experiuntur, qui technologiam auctoris eiusque rationes perdiscere non dedignati sunt; multos tamen subinde et varios LINNEI errores, per multa discipulorum eius scripta propagatos et continuatos tangit et emendat; eoque efficit, vt genera Systematis Linneani multa propius ad ordinem rerum a sapientissima natura institutum accedant. Artificium, quo vsus tam varios et multiplices affinitatis gradus in tabula formulis et lineis chalcographicis expressit, enarrare nec lubet, nec operae pretium est; contra vero in lectorum gratiam praecipuas

easque nouas obſeruationes, quibus commentarius diſtinctus eſt, hinc inde excerptas delibabimus, addito interdum iudicio noſtro, quo melius ex his ſpeciminibus de reliqua libri praeſtantia Auctorisque ingenio iudicare poſſint. Quoniam vero multorum eorumque praeſtantiſſimorum ſcriptorum induſtria et diligentia in enarrando quadrupedum ordine et nexu explicandaque magna eius et varia cum humano genere cognatione atque affinitate iam diu occupata fuit, malumus ex reliqua auium, amphibiorum et piſcium tractatione ſeligere illa ſpecimina, quibus ingenium ſolertiamque auctoris lectoribus approbatum iri confidimus. Verum tamen, vt ingenue fateamur, quod res eſt, fere veremur, vt lectoribus omni ex parte ſatisfaciamus. Difficile enim eſt ex tam varia tamque arctis argumentorum rerumque vinculis colligata diſputatione decerpere aliquam particulam, quae a reliquo corpore violenter ſeparata eandem ingenii ſolertiaeque opinionem lectori inſinuare poſſit. Nollemus tamen culpa noſtra de laudibus viri doctiſſimi aliquid imminuere. Igitur re diligentius penſitata, conſilium hoc placuit, vt primum ex tractatione auium ſpeciminis loco initium translatum poneremus, deinde vero ex omni parte praecipuas obſervationes, quibus generum multorum affinitates confirmantur, excerptas admirationi lectorum exponeremus. Quodſi vero hinc inde diſſenſum noſtrum teſtatum paucis fecerimus, ſperamus fore, vt Auctor hanc opinionis diuerſitatem non ad inuidioſam carpendi libidinem, ſed ad honeſtum veritatis ſtudium referat, quod ipſe multoties, vbi praeſtantibus meritorum fama viris obloquitur, eſt profeſſus. Quid? quod in tabula ſua, duobus annis ante inceptum commentarium excuſa, ipſe poſtea non pauca animaduertit, quae vel mutata, vel addita

ta mallet; adeo vt dubitationi nullus superesse possit locus, Auctorem veritati, quam gloriae studio, plus tribuere.

„Quemadmodum, inquit Auctor, mammalia per vespertilionem maxime auibus accedere vidimus, sic etiam consimili fere modo ab his per verissimam auem struthionem ad mammalia adscenditur. Eum partim auem, partim quadrupes, iam ARISTOTELES dixit. Et sane pedum structura camelinae subsimili, callo pectoris, sterno plano non carinato, genitali membro, clitoride, ventriculo isthmis intercepto, excrementorum forma, palpebra superiori mobili ciliata, cursu in terra, plumis decompositis, pilorum aemulis, id quod in casuario maxime obtinet, mammalibus accedit. Vtque sunt inter mammalia, quae ad idem genus referri oporteat, licet digitorum numero non conueniant, sic et in tribus struthionis speciebus, quarum similitudinem ne BVFFONIVS quidem negat. A struthionis genere proxime abest volare aeque nescius Didus ineptus, per quem et gallinaceae aues, et reliquae, si velis, quibus negata volandi potestas est, nectuntur. At Didus ipse in sua classe id referre videtur, quod inter mammalia bradypus est. Ab altera autem parte casuario cognata Otis est, tridactyla pariter, et grauis ales, quae non modo fornicato rostro, et tibiis minus denudatis, rectrices pennas gerendi more, victuque vegetabili, ornatu masculini sexus, volatuque magno conatu moliendo gallinaceis appropinquat, sed et intermediis gruibus graniuoris ardeas annectit. At tamen et hic ambigat grus leucogeranos PALLAS, quam illustris hic Auctor gruibus sociat, quum tamen ipse pisciuoram esse doceat, non graniuoram, quod inter gruis characteres posuerat. Sed multiplices sunt ardearum LINNEI formae, vt apte in familias aut

aut distincta potius genera diuidi queant. Ex cristatis quidem ardea pauonina plicatili verticis crista pauonem, sed nudis iuguli lobulis phasianum gallum refert, ad quas aues lineae lectorem deducent. Ciconiarum gularis quodammodo saccus redit in pelecanis, quos linea coniungendi tabula haud copiam fecit. Inter grues Psophiam esse iubet Cel. PALLAS, a quibus tantum vertice non denudato differt. Eam auem inter Palamedeam cornutam et Parras intermediam iudicat Cel. ADANSON; producatur adeo a Parra linea vsque sub Psophiam, adscribaturque Parra Chauaria, cui similis fere statura moresque; ab eaque punctata linea ad Psophiam adscendat. Quumque de gallinaceo quoque genere rostrum et morum non nihil mihi habere visa sit, ita quoque censente Ill. BVFFONIO, et auctore PENNANTO gallinacearum more plurima oua pariat, poterit facile cum iuxta posita Tetraone perdice (cui iam, licet inepte, a BRISSONIO iuncta fuerat) atque adeo gallinaceis coniungi: nec dubium est, repertum iri aliquando etiam inter has ambigentes: inque gallinarum classe, quum homini amicissima sit, eundem fere locum tenere poterit, quem inter mammalia canis. Ardeae autem superius genus et latius patens ita a nobis positum, vt in eo confluant, et a superiore parte grus, et ab inferiore loco cancroma, et a dextro latere ardeae proprie dictae, quarum ordinem ardea cinerea indicari placuit, et a quibus solo dilatato inorbiculum rostro plataleae differunt, et a sinistra Botauri (*Ardeae stellares* LINN.) amplioribus gulis cum ciconiis coniuncti. Horum ope poteris quoque accipitrum ordinem annectere. Nam a Botauris lineam versus superiora ducendo incidere facile poteris in striges pariter nocturnas aues, maxime si interponas, qui demum abhinc impressione tabulae nostrae nobis innotuit,

notuit, Sagittarium BODDAERTI, pedibus grallam, corpore rostroque accipitrem. Sed redeamus ad struthionem camelum; a quo pendet hinc Palamedea cornuta, illinc Phoenicopterus, procera statura, rostro breuiore, tibiis validis struthioni vtcunque analogus, sed palmatis pedibus, rostroque anatino more denticulato et epidermide tecto ad anseres oppido transiens. Vt adeo ab aue cum Mammalibus coniuncta per paucos intermedios gradus affinitas cum omnium classium auibus pateat, per Sagittarium nempe cum accipitribus, per Phoenicopterum cum anseribus, per Otidem cum gallinis, per Plataleam pygmaeam, aut per minutissimas illas Tringarum species, quas Turdos aquaticos Alaudasque marinas salutare solent, aut si rostri eam similitudinem admittere velis, per Pratincolam (a LINNEO ad Hirundines relatam) cum Passeribus. Solusne ergo Picarum ordo nullatenus erit coniunctus? Meminisse hic oportet, esse duos hos ordines maxime omnium dispares; Picis esse breuissimos pedes vitaeque genus diuersissimum a longipedibus grallis; vnde difficilior et minus euidens nectendi ratio. Non tamen deerunt quaedam momenta, quae comparationem admittant. Conferri poterit Cancroma amplum rostrum nacta cum Rhamphasto maxime pisciuoro; nec Alcedines a grallarum viuendi genere valde alienae sunt; poteritque fortasse vastum Alcedinis capensis rostrum cum Ibidis aut Ciconiae rostro, aut cum eo, quo Cancroma gaudet, comparari. Sed KLEINIVS quoque, in quo Grallis cum Picis conveniat, docebit, qui Falcatoris minime quidem naturali genere et Numenios e Grallis, et e Picis Certhias, Meropes, Vpupasque coniunxerit. Quumque in re haud expeditissima etiam curiosius, quae ad rem faciant, anquiri posse videantur, et veniam reperire,

reperire, quae alii obtorto collo adducta esse putent, trahamus huc comparationem, quam magnus LINNEVS inter Grallas atque Bruta fecit, quorum Myrmecophagis et Manibus quum magis quoque Picus et Iynx ob linguae analogiam conueniant, dici forte poterit, Grallas Picasque, quae in alio tertio, Brutis nempe, conueniunt, etiam inter se conuenire. Verum haec mittimus et ad reliquas aues descendimus. „

p. 157. Anatini generis cum reliquis auibus affinitatem ita enarrat: „In anatis et finitimo Mergi generibus, ad quae iam ab aliis per Anatem mersam et Cygnum et cucullatas aquaticas aues transitum dari ostensum est, expediendis non ero fusior. Neque enim spatii satis fuit, vel praecipuis illarum speciebus rite disponendis, nec satis cognitas habeo numerosissimas istas, quarum quotidie etiam numerus augetur. Anseris inter Anatisque genus, quae BRISSONIVS distinxit, nullos esse certos limites constat, siue rostri conicam depressamue formam spectes, siue pedum altitudinem incessumque, siue magnitudinem, aut quae demum cunque velis. Sic et recuruae caudae pennae, speculi alarum color, crista capitis, pennae dorsales angustae et praelongatae Querquedularum, alio alioque modo connectunt. Alias cera rostri, aut gibber in eius basi conspicuus, aut facies nuda, alias humeri spinosi, alias fodiendi instinctus, alias egregie vrinandi peritia, alias terrestris habitatio, alias arboribus insidendi, aut in iis nidificandi mos, alias monogamia, alias rostrum dilatatum Plataleae rostrum reuocans, alias sonus, quem edunt, gratus, alias tetrinniens, aut acutus sibilansque, alias rectricum pennarum quaedam praelongatae, alias calliditas summa, alias stupiditas, alias sapor carnis maxime pisculentus, alias gratissimus, alias tracheae labyrinthus, alias eiusdem defectus,

fectus, a congeneribus difcriminat et alii aliiue aui affimilat. Facies nuda papillofa anatis mofchatae, quae prae aliis etiam manfuefcit et cortalis fit, videtur anatis genus ad gallinas deducere poffe. Anas Tadorna roftro refimo inter fuas idem cenferi poterit, quod inter Grallas Limofae et Recurviroftra. Equidem in ifta fpatii anguftia nonnifi anatem anferem vulgatiffimam fpeciem, et inter anferes cygnosque auctorum intermediam anatem cygnoidem nominaui; tum Clangulam, vt linea ad Pfophiam deducta indicarem, effe variorum ordinum aues, quibus a fingulari laryngis ftructura pendens infolita vox eft: tandemque anatem bucephalam, vt intermedio Mergo cucullato, cui fimile tumens caput eft, confociarem Mergos fatis iam per fe propinquos. Mergi ceterum ob vrinandi peritiam Colymbis annecti poffunt. „ In annotationibus, quibus fingulae notae vberius explicantur, primum memorat Cel. Auctor longas illas et anguftas humerorum pennas propriae ftructurae, quas in Anate querquedula, Crecca, difcorde fponfa, forte etiam in aliis reperiri ait, quasque ab auctoribus vulgo neglectas mereri vtique in fpecificas definitiones recipi, et illis gaudentes ad peculiarem anatini generis familiam referri. Nobis quidem nondum liquet, quas Auctor doctiffimus pennas hic intelligi velit, illasne, quae initio offis humeri fuperne iunctae, fpatiumque inter dorfum et alam medium occupantes, atque intermediis remigibus longiores, an alam notham Moehringii, quae fex plerumque pennis anguftioribus compofita inferne offi humeri in linea obliqua iuncta confpicitur. Vtramque vero alam hanc nos quidem non folum in anate bofchade, Crecca, Querquedula, clypeata, acuta aliisque, fed in laris etiam quibusdam reperimus; adeo vt nefciamus, an hae pen-

nae

nae commode ad familiam aliquam anatini generis constituendam referri possint. Instinctum fodiendi, nos quidem effodiendi cubilis instinctum diceremus; in quo conuenit anati tadornae cum Alcis, Penguinis, Ispida et hirundine riparia. Humeros spinosos putamus doctissimo auctori dici illam processus supra pollicem alae positi eminentiam; quae quidem in multis auium generibus reperitur, mox longior et acutior, modo breuior et obtusior. In Palamedea cornuta et Struthione camelo praeter hanc spinam vltimum alae os itidem in spinam prolongatur alteram. Denique quod doctissimus Auctor linea ab anate clangula ad psophiam deducta indicare voluit, esse variorum ordinum aues, quibus a singulari laryngis structura pendens insolita vox est; in eo quidem non satis recte fecisse nobis quidem videtur. Nihil enim nec laryngis structura, nec ipsa Clangulae vox cum psophia commune habet. Quid? quod in auium laryngis structura nullam fere aut paruam variationem reperiri scimus. In maribus quidem auium cantatricum fortiores laryngis musculos reperisse professus est HVNTER; in Pelicano carbone et in aliqua Aquilae specie laryngis cartilagines quadratas reperit PERALTVS; nos ipsi in quarundam auium larynge cristam seu carinam acutam in medio cartilaginis arytaenoidis interne additam vidimus. Verum longe maior et nondum satis enarrata reperitur in structura et conformatione tracheae eiusque bifurcationis, bronchiorumque ipsorum varietas, a qua quidem auium vocem, in omnibus fere diuersam atque insolitam, pendere recte olim censuit DODARTVS et post eum HERISSANTVS. Quid? quod hi ipsi duumuiri laryngem in superiore tracheae parte additam nihil fere ad vocem auium formandam conferre asserunt, sed inferioris

ferioris bifurcationis, bronchiorumque ſtructuram cum additis labyrinthorum formis et membranarum per eos tenſarum configuratione vſum laryngis plurimis, inprimis vero aquaticis auibus praeſtare. In hac vero tracheae varia ſtructura natura quandam generum ſimilitudinem ſecuta eſſe videtur, quae affinitatem auium plurimarum certiſſime arguit. Sic quidem ardearum multae ſpecies duplicatae et retortae tracheae in ſterni os cauum inſertione cum anſere cygno; ſic corui laryngis internae ab HERISSANTO dictae conformatione et muſculorum ei additorum numero atque inſertione cum Pſittacis; ſic Phaſiani ſpecies quaedam cum Cracibus et Tetraone Vrogallo tracheae reduplicatione ſecundum colli longitudinem aut intra pectoris cauitatem ſita conueniunt; denique illas tracheae dilatationes et folliculares et labyrinthiformes appendices natura anatum et mergorum generi proprias tribuiſſe videtur, eoque etiam argumento ſummam vtriusque generis affinitatem indicaſſe. Anſerum genus nihil ſimile aut ſingulare in tracheae ſtructura oſtendit, adeoque magnam diuerſitatem offert illis, qui anates ab anſeribus disiungere velint. Multi vbique affinitatis gradus veluti rami ad reliqua genera excurrunt, quos perſequi longum et arduum eſt. Deſinunt hi non raro in tam tenues et ſubtiles ſimilitudinum quaſi fibras non ſolum in corporis externa ſpecie, ſed in moribus etiam, ingenio victuque latentes, vt cum magno acumine opus ſit, ſi rite eas omnes indagare velis, tum vero maiore etiam prudentia, ne longius notam aliquam ſingularem ſecteris, nec in argutias incidas. Itaque in vniuerſum monendum cenſemus, cum iſta de cognatione atque affinitate animalium doctrina ſimilitudine aliqua non ſolum ſtructurae totius corporis, ſed ſingularum etiam

partium tam externarum, quam internarum, quin etiam habitationis, procreationis, victus, morum et denique ingenii nitatur, eo maiorem iure videri cognationem atque affinitatem eorum animalium, quibus inuicem plura conueniunt. Cauendum vero, ne singulas partes nimis vrgeamus, ne argutari videamur, cum naturam interpretari volumus. Persequi tamen illam singularum partium similitudinem diligenter non vetamus; possumus enim ex studio isto hoc consequi, vt facilius vsum istarum partium, quae in variis animalium generibus alia forma, alio loco diuersoque situ conspiciuntur, explicemus.

p. 162. Gallinaceam gentem recte a LINNEO cum pecoribus comparatam esse docet Auctor, notasque explicat, quibus vtrumque genus inuicem conuenit. Scilicet prolobus, in quo vegetabiles cibos macerant quasi ruminatione aliqua; cornua, quae nonnullis in capite, plurimis in pede sunt, vbi vngulas spurias pecorum quasi imitantur calcarea gallinarum in nullo alio ordine recurrentia; pendulae in aliis carunculae palearibus boum mancillisque caprarum analogae; aptitudo ad mansuescendum, et domesticam vitam; carnis adipisque puritas, omnia haec coniunctim sumta similitudinem aliquam cum pecoribus ostendunt. Vltimum auium genus Hirundinum et Caprimulgorum coniunctissimum vtrumque et varia affinitate nexum non quidem a motacillis immediate deduci potest, quamuis aeque insectiuorum sit, ac harum genus, sed ab aliis tamen paulo magis distantibus vtcunque pendet, et paucis intermediis gradibus maximas rapacesque et minimas innocuas aues cohaerere, quin duobus simillimis et coniunctissimis, si vllum, generibus ipsa hinc Mammalia, inde locata inferiore gradu amphibia connecti, mira res oppido vide-

videtur. Haec Cel. Auctor p. 230. Videamus nunc, quibus hanc suam sententiam confirmare conatur, argumenta. Cognationem hirundinis cum caprimulgo plures iam olim scriptores animaduerterunt; addit Auctor hirundinem Martinicam cauda non forficata caprimulgis propiorem esse; alias caudae aequalitate; contra ab hirundinibus propius absunt caprimulgi duodecim rectricibus instructi, vt ab altera parte hirundo Melba rectricibus decem caprimulgum magis refert. Caprimulgus acutipennis hirundinem pelagicam simili rectricum acuto fine annectit. Cum Picis affinitatem aliquam, quamuis tenuem, prodit duodenus rectricum numerus et pedum breuitas. Maior est cum strigibus caprimulgorum cognatio, quam arguunt aures vtrique generi amplae cum oculis, setae ad rostrum, licet numero rariores et positu diuersae, pedes villosi, digitus quoque in oppositam partem mobilis, quanquam ceterum diuersissima pedum proportio est, nec apta rapinae; vnguis medii margo etiam (interior) serratim incisus, quod praeter ardeas nisi in strigibus non obseruasse profitetur Auctor; (Sed in Pelicano carbone easdem medii vnguis incisuras vidit PERRALTVS.) volatus denique subnocturnus. Nexum cum Mammalibus paulo obscuriorem ita explicat. Vt hic transitus in distinctissimas classes fit, ita similitudines leuiores esse debent atque obscuriores, quod ipsa natura in nocturnis animalibus eas machinata, indicasse videtur. Si fas est vespertilionem ad aues deducere, si, quod grauissimus Auctor BVFFONIVS fecit, hystricum aculei cum auium plumis comparari possunt, et struthio mammalibus accedere dici potest, dari velim et illud, caprimulgum solam eam esse auem, quae, quod reliquis omnibus negatum est, sugere possit quadrupedum more, eoque cum mammali-

bus conueniat. Fabulosum hoc reputari hodie scio; at non perspicio, qua ratione plures gentes in nomine imponendo conuenire adeo potuerint, vt a fabulosa prorsus nec vnquam visa re nomen illud repeterent. Rei veritatem denuo, si recte memini, adstruxit SCOPOLI: nec velim obiici, deesse buccas et labia sugendo apta. Potest auis, ni fallor, immani gutture vberis papillam recipere, et musculorum ope, qui mylohyoideis, genioglossis et cet. musculis respondent, reclinatis mollibus et plicatilibus fere paruisque maxillis sugere; quam gulae vim esse auibus, quae maiores integros pisces deglutiunt, necesse est. Aegre ferimus doctissimum Auctorem ingenio suo et similitudinum vndequaque colligendarum studio adeo indulsisse, vt, quod non solum veritati, sed multo magis etiam analogiae et verisimilitudini repugnat, adstruere conaretur. Nominis argumentum non est quod vrgeat; illud enim a graecis primum ad latinos scriptores, deinde ad aliarum gentium scriptores translatum est, vel amore credulo superstitionis, vel quod nullum aui proprium aderat. Multae tamen regiones et gentes ab isto errore Graecorum plane immunes alio auem nomine appellant; quaedam etiam similem opinionis errorem in hirundinem rusticam transtulerunt, quae vbera vaccarum pungere dicitur. Auctoritatem deinde SCOPOLI adhibere non debebat Cel. Auctor; is enim nihil comperti refert, sed vulgarem simpliciter traditionem sequitur; in quo tamen illud nobis mirum accidit, quod interdiu caprimulgus aut latere aut vbera armentorum sugere ab eo traditur. Sed eum SCOPOLI multorumque praeter eum scriptorum errorem post KLEINIVM satis refutauit GVNTHERVS in versione germanica anni Ornithologici Scopoliani, quam Cel. Auctor nondum vidisse videtur. Sed praeterea,

terea, pergit Auctor, nares cartilagineae prominentes ac mobiles non alii facile aui datae sunt. An Procellariae tubulosas suas nares mouere possint, ignoro. Noua, vtcunque sit, haec est cum Mammalibus analogia. Affines striges autem solae, quantum sciam, inter aues mobiles auricularum carneos lobulos nactae sunt, mammalibus hac in re conuenientes. Quae omnia tanto excusatius protulisse me spero, vt inuicem assimilari classes demonstrarem, quum simili ratione membranaceas plurium vespertilionum cristas auium cirrhis comparare magnus BVFFONIVS non dubitauerit. De mobilitate narium prominentium in caprimulgo veremur, vt Auctori ex sua obseruatione constet; nobis quidem in pluribus auis exemplis sclopeto occisis, quorum vltimum tamen per horam vitam protrahebat, motum aliquem animaduertere non licuit. Quod si tamen motus in hoc auium genere locum habet, multo magis idem de procellaria concedendum putamus. Ab hibernantibus animalibus per hirundines seriem ad amphibia deducit, et vrbicam vltimo loco ponit, quia hanc praecipue demergi probabile ei videtur. Priusquam ad amphibiorum ordinem transeamus, profitemur ingenue, mirum nobis accidisse, quod nullibi reperimus Cel. Auctorem animum aduertisse ad illa cognationis atque affinitatis animalium argumenta, quae internarum partium diligentior inspectio magna copia suppeditat, quaeque ex auium et piscium genere collecta proposuit nuper doctissimus VICQ D'AZYR. Sed videmus sero tandem nobilissimi Galli operam praeclaram Auctori innotuisse, quod quidem ipse aegre ferre videtur. Plura tamen et frequentiora similitudinis argumenta ex internarum partium structura sumta attulit in ordine amphibiorum enarrando, quorum species externa multo magis a simi-

litudine reliquorum animalium aliena oculorum aciem facile ipſa ad interiora dirigere cogit. Squalorum cum raiis cognationem egregie enarrauit; vbi tamen quaedam aegre deſideramus, quae a Gallo paulo antea laudato, VICQD'AZYR, praeclare praecepta meminimus. Pertinet inprimis huc deſcriptio ſceleti Raiarum, quacum rudis illa delineatio a CHESELDEN profecta contendi non poteſt, quam tamen ſequitur Cel. Auctor. Partum vtriusque generis inprimis magna cum diligentia perſequitur, et multis argumentis efficere conatur, vt credibile ſit, in vtroque genere ſpecies alias oua, alias viuum edere foetum. De Raiis veterum teſtatur experientia et teſtimonium; ſed ſqualorum etiam ſpecies quasdam ouum edere arguunt folliculi vel vacui vel foetu turgeſcentes in mari reperti, et a variis auctoribus fide dignis deſcripti. Praeterea ſuſpicatur Cel. HERRMANN, tortiles illos viticularum inſtar cirrhos, praelongos, quibus oua ſqualorum inſtructa conſpiciuntur, eum habere vſum, vt impliciti marinis plantis ouum editum detineant. Caua enim fila illa eſſe, vt aliquam alimenti partem ad foetum deferre poſſint, nondum demonſtratum eſſe. Verum quaeri poteſt, cur benigna rerum natura eosdem cirrhos illis etiam ouis addiderit, quae in vtero matris excluduntur? Raiam oxyrynchum LINNEI eſſe eam ſpeciem, quae Bos veteribus audit, etſi etiam a PENNANTO affirmari idem meminimus, dubitatione tamen omni non caret. Sed hic non eſt locus in eam rem diligentius inquirendi. Os piſcium cirrhoſum cum palpis inſectorum comparauerat SCOPOLI; contra vero Auctor cirrhos iſtos cum vibriſſis Mammalium aut vermium tentaculis contendere mauult. Vibriſſarum autem vſus nobis quidem nimis eſſe anguſtus videtur, quam vt piſcium cirrhis compa-

rari

rari poſſint; multo vero magis ſtructura differunt, quae diuerſum arguit vſum. Neruorum enim extremitates cirrhis Siluri maioribus additas diſtincte ſatis videre licet; nihil ſimile in vibriſſis animalium. Squalum faſciatum illum, quem ex p. 302. SEBA T. III. tab. 34. fig. 1. laudat, quaſi quaternis tantum laterum ſpiraculis inſtructum, et per quem adeo ad Chimaeram, cui ſimplicia quidem, ſed quadripartita ſpiracula ſunt, facili lapſu naturam deſcendiſſe putat, ipſi diligenter examinauimus, atque errorem interpretis SEBAE manifeſto deprehendimus. Sunt enim illi, vt reliquo Squalorum generi, quaterna laterum ſpiracula. In piſcium numero p. 325. ſunt, inquit Cel. Auctor, quorum pectorales validiores radii et inſertione et vſu brachia referre videntur. Nominat Silurum, qui quaſi bipes eſſe videatur, atque adeo membrorum reſpectu proximus a Lophio ponendus. Deinde in nota explicat mirabilem radii primi validioris pinnarum pectoralium Siluri fabricam atque inſertionem vel articulationem, quae efficit, vt radii antrorſum erecti et rigidi nulla fere vi et niſi cum arte aliqua reprimi et retroflecti non poſſint. Sed maiorem admirationem meretur, et ampliore deſcriptione digna eſt ipſa ſcapulae figura, poſt clauiculas cum magno ſpinae dorſalis proceſſu laterali bifurcato vtrinque iunctae, quae ſimul ſterni locum tenet. In angulo vtriusque foſſa varie exarato radiis primus duobus condylis ita inſertus haeret, vt, ſi antrorſum muſculorum ſcapularium ope protractus fuerit, niſi cum artificio aliquo reponi non poſſit. Verum vlteriorem mirae huius fabricae, qualem in ſceleto capitis Siluri glanis diligenter a nobis apparato contemplamur, rationem opportuniori loco reconditam ſeruamus. Vſum eius interim hunc cum doctiſſimo HERRMANNO ſuſpicamur eſſe, vt in anguſtis canalibus

piſcis contra ripas nitendo tanquam brachiis gliſcere poſſit, et adſcendere aduerſo torrente inter ſcopulorum rimas.

p. 346. Labrum Scarum LINNEI ruminare eaque re cum Pecoribus conuenire, auctoritate veterum ſcriptorum confiſus repetit Cel. Auctor; nobis tamen ex diſſectione RONDELETII nihil occurrit, quod ruminationem arguere videatur. Quodſi eiusmodi ſimilitudines longius perſequi velis, illam potius quibusdam piſcium generibus peculiarem vim ventriculi inuertendi et cibos nimis auide hauſtos egerendi cum ruminatione pecorum comparare liceret.

XVIII.

Materialien für Gottesgelahrheit und Religion. Erſter Band, Erſte Sammlung, Gera 1784. 174 *Seiten in* 8.

i. e.

Materialia ad theologiam et religionem.

In hoc periodico opere, quod ſub auſpiciis IOANNIS AVGVSTI WEISE, V. pl. Rev. in lucem emittitur, plura ad biblicam medicinam pertinentia a Cl° ACKERMANNO, profecta occurrunt. Miſſis itaque iis, quae ad theologiam ſpectant, medica in hoc volumine contenta recenſere lubet.

p. 50. *Annotationes circa antiquitates vſumque circumciſionis*, Auctore IO. CAR. GOTTL. ACRERMANN. Med. Dr. Pluribus primum rationibus probatur, circumciſionem ante Abrahami tempora ignotam, et Abrahamo diuinitus mandatam fuiſſe. De vſu circumciſionis, inprimis medico. Circumciſionem ſobolis copioſiori progenerationi nullo modo, nec in his, quibus languida venus eſt, fauere, Iſraelitasque,

litasque, quum in itinere ſuo maxime diuturno circumciſionem negligerent, copioſiſſimam ſobolem generaſſe. Magis potius probabile eſſe, ſummum numen inſtituta circumciſione oeſtrum venereum certis limitibus coercere, eaque id inprimis cauere voluiſſe, ne praecocibus nimis connubiis in tam calida regione ipſi parentes eneruarentur, effoetaque ſoboles progeneraretur. Circumciſionem etiam morbos quosdam auertere, ſpuriam gonorrhoeam, varias in dorſo glandis inflammationes et ſuppurationes, naturalem et morboſam phimoſin paraphimoſinque, contagia etiam morborum per coitum difficilius in circumciſis propagari, et in circumciſione praeſidii forte aliquid contra lepram poſitum fuiſſe. Simul et de manuſtuprationis antiquitatibus diſſeritur, probaturque *Onanem* eius auctorem non fuiſſe.

De opera, quam Iudaei in circumciſione in corpore ſuo extinguenda poſuerunt, ad loca Ierem. IX. 25. 1 *Maccab. I,* 16. *et* 1 *Corinth. VII,* 18. *illuſtranda* idem auctor vlterius diſſerit. Locum Paralip. II, 36, 8. etiam de hac circumciſionis extinctione arte tentata valere. De rationibus, quibus Iudaei ad circumciſionem ſuam velandam commoti ſunt, in Gymnaſiis, Graeco more apud eos inſtitutis, frequenti eorum cum exteris nationibus commercio in contemtu Iudaicae nationis, Romanorum inprimis ſub imperio, et in eo ſitis, quod nouae chriſtianae religioni addicti Iudaei omnia priſcae religionis et in corpore ſuo veſtigia omni opera delerent.

Nunc de modo diſſeritur, quibus veteres aut p. 91.
naturali modo nimis curtum praeputium, aut arte reſciſſum reſarciebant. Externis medicamentis eum in finem adhiberi ſolitis, expoſitis, operationes variae veterum chirurgicae, quibus hic finis obtinebatur,

batur, recenſentur, multisque obſeruationibus illuſtrantur. Plura inprimis ad *Epiphanii* locum, in quo talis operatio fuſe deſcribitur, illuſtrandum veterum teſtimonia adferuntur, illuſtrantur et inter ſe conferuntur. — Alia theologici argumenti in hoc opere contenta huc non faciunt.

XIX.

Neues Magazin für Aerzte, herausgegeben von ERNST GOTTFRIED BALDINGER. *Erſter Band I — VI. Stück. Leipzig* 1779. *Seitt.* 574. 8. *II Band.* 1780. *Seitt.* 574. *III Band.* 1781. *Seitt.* 576. *IV Band.* 1782. *Seitt.* 574. *V Band.* 1783. *Seitt.* 574.

i. e.

Nouum promtuarium in vſum medicorum editum ab E. G. BALDINGER. Vol. I — V.

Vtiliſſimo hoc opere, et ab omnibus maxime laudato, cuius omni anno volumen in ſex partes diuiſum in lucem emittitur, Ill. Editor partim doctorum medicorum practicorum, partim vero et iuniorum vſui inſeruire cupit, eumque finem Ill. Vir hoc modo attigit, vt nil paene ſit, quod in eo poſſit deſiderari.

p. I. ZIMMERMANNVS V. Ill. machinam deſcribit, ab Illuſtri Archiatro KAEMPFIO inuentam, qua clyſteres ex vaporibus applicari poſſunt. Vtilis machina eſt et facile applicanda. Eam icon adiecta exhibet.

p. II. *De inſigni fomentationum capitis frigidarum in apoplexia vſu, auctore* Cl° CRELLIO. SCHMVCKERI inprimis exemplis ductus, capitis fomentationes frigidas, in omni apoplexia, praemittendis medicinis praemiſſis laudat, exempla tamen boni ſucceſſus omni ſane modo exſpectandi non affert.

Ad

Ad historiam specifici antipodagrici Americani p. 19.
BALDINGERVS, V. Ill. quaedam conscripsit.

Historia febris epidemicae scarlatinae, in Wetterauia grassantis, auctore anonymo. Morbum semel tantum homines corripere; subinde anginam, cum omnibus febris catarrhalis symptomatibus, sine vllo exanthemate apparuisse. Biliosa constitutio huic febri solita simul aderat. Exanthemata desquamatione soluebantur, iisque penitus profligatis noua angina cum febre oriebatur, ex qua demum hydropicus ille rebellis tumor natus est. Tumor ille semper pro exanthematum multitudine et squamarum copia vehemens fuit. Eius origines partim ab inhalatione a morbo aucta, partim et a vitiis in hypochondriis, biliosae indolis sitas esse. Medicinas ad hunc morbum euacuantes maxime valere. Bona tractatio est, a sagaci obseruatore profecta. p. 21.

Quam damnosum sit belladonnae baccas et daturae strammonii semina esse, idem, vt videtur, auctor ex exemplis probat. Strammonii semina neruos vehementer afficere et sanguinem in praeternaturales motus concitare. p. 31.

De manustupratione, inprimis puellarum iuniorum, ZIMMERMANNVS, V. Ill. eleganter disserit, anonymumque alium auctorem, qui varia contra hanc tractationem argumenta protulerat, refellit.

Arthritici morbi anomali historiam alius perscripsit. Morbus tandem pedum ossa praeter naturam affecit.

De clysteribus recte applicandis auctore MARTINI. Situm corporis, vt clyster iniectus crassa intestina penetrare possit, certum requiri.

STEPHANI WESZPREMI, V. Cl. obseruationes de totali vaginae vterinae procidentia cum eius inversio-

versione. De asparagi aphrodisiaca virtute. De hermaphrodita, virorum ordini adscribenda.

Tandem de arsenici ad cancrum vsu agitur.

In *altera* huius voluminis *parte*, praeter versiones, et librorum recensiones, quas studio omittimus, *morbi epidemici aestiui anno* 1778 *grassantes* (ab ACKERMANNO, V. Cl.) describuntur. Calorem in hoc anno eum longe superasse, qui in Indiae occidentalis insulis obseruatur. Biliosarum febrium, cum pleuritide et neruinis symptomatibus intensissimis a summa bilis acrimonia, et vernicis colorem tenacissime adhaerentem exedente ortis coniunctarum historia, quae solo et propero vsu emeticorum debellari poterant. Interdum et vniuersalis rigor aegros statim occupabat, necabatque. De medicinis ad hanc febrem emeticis, purgantibus, antiphlogisticis. Nigrum sinapi ad sinapismos albo praestare.

p. 143. De modis curandi singularibus Ill. editor plura exempla scriptaque adfert.

Cadauerum incisiones et morborum in hominibus et animalibus obseruationes septem, auctore RÜLING, V. Cl. Mors subita ex sanguine in pectore effuso. Casus viri in aqua suffocati. Fractura ossis frontalis et temporalis sanguinisque sub cranio effusio absoluti lethalis. Puellae atrophicae extispicia. Mesenterium obstructum, nodosum et induratum erat. Fractura quinque costarum verarum, eamque excipiens sanguinis in pectore effusio lethalis.

Ill. Editor, an HIER. CARDANVS circa musculorum irritabilitatem experimenta instituerit, et an BERGERVS iam ante HALLERI tempora docuerit, sanguinem ad cor redeuntem illud ad contractionem irritare, rependit.

Tertia pars obseruationes de arnicae floribus (auctore ACKERMANNO) continet. Num arnica alismatis

tis et Damaſonii nomine veteribus cognita fuerit. De loco plantae natali. Plauenſem omnibus praeferendam eſſe. De colligenda planta, et de plantae viribus. Vires arnicae ad neruorum morbos, inprimis ad amauroſin et ad plicam Polonicam. De arnicae viribus in cachecticis morbis, vulneribus, contuſionibus, et ſanguinis ſtaſibus inflammatoriis. De vſu florum externo, ptarmico. Hos flores in nares ingeſtos ſternutationem vehementem et viſus imbecillitatem producere.

Epiſtolae in Quintum Serenum Samonicum. (eodem V. Cl. auctore) De vita, variis codd. Mſ. editionibus poetae, variis eius lectionibus, optimisque lectionibus reſtituendis plura occurrunt.

De animi pathematum, inprimis terroris effectibus obſeruationes practicae, auctore St. I. A. ALBRECHT. Elegans eſt et cum multo ingenii acumine conſcripta tractatio, quae tota legi relegique meretur. De timoris, terroris moerorisque in morbis effectibus. Conuulſiones intenſiſſimas a terrore vehementi productas et tertiana febre ſanatas, poſtea vero redeuntes aquis Pyrmontanis penitus profligatas eſſe, Cl. Auctor ex exemplis probat. De aliis morbis, inprimis ſcirrhis a terrore productis.

Continuationem cadauerum inciſionum et de morbis obſeruationum RÜLING, V. Cl. exhibet. Prima alteraque inciſio in bobus facta eſt, contagioſo quodam morbo necatis. p. 253.

Enarratio morbi, quo Auguſtiſſimus Romanorum Imperator CAROLVS *VI. e vita ceſſit, mane, die 20 Octobr. 1740. abſoluto 50 aetatis anno.* Hepatites fuit lethalis, (aut potius, ob febris abſentiam, morbi nigri haec ſpecies, vbi bilis color in atrum mutatus eſt, ſanguine ad eum nihil contribuente). p. 269.

De Guaiaco, variisque ex eo compoſitis medicinis.

Quarta

Quarta parte medicis historia morbi singularis a WICHMANNO, V. Cl. proponitur, extricanda.

p. 299. *Vrinae cum sedimento coeruleo historia*, auctore WESTENDORFIO, V. Cl. Morbus mania erat in arthritidem tandem desinens.

p. 309. Additamenta ad MOEHSEN, V. Ill. syllogen tabularum aeri et ligno incisarum, in quibus medicorum imagines exhibentur, ab Illustri editore copiosissima sunt et diligentissime elaborata, sat copiosa etiam sylloge imaginum est a G. P. LEHR conscripta.

Historia morbi post rabidi canis morsum exorti. Aquae metus mortiferus fuit.

Varia de BOERHAAVII meritis, dedicationibus, de chirurgiae curtorum TAGLIACOTII editionibus de libri, syruporum ratio inscripti, vero auctore et de asphalti oleo Ill. editor inseruit.

Quinta pars sequentia continet. Quaestiones aegroti cuiusdam ad Ill. editorem, de vermibus amphibiisque in corpore humano. Responsio doctissima Ill. editoris plurima amphibiorum in corpore humano exempla ex auctoribus allegata continet.

De plethora ad vteri haemorrhagias conferente, de causis et medicinis ad hanc haemorrhagiam. Prolixa dissertatio.

p. 443. *De viola Ipecacuanha*, ex celebratissima LINNEI dissertatione.

De amygdalis, et oleo amararum aethereo ex Cl. DARIES epistola *).

p. 457. Epitome litterarum GLADBACHII, ad TREWIVM 1734. de inoculatione variolarum datarum. Damnatur inoculatio, recens eo tempore in Germania inuentum.

De guaiaci vsu Ill. editor pauca quaedam dictis iam adiecit.

Sexta

*) vid. comm. nostr. Vol. XXII. p. 358.

Sexta pars BVCHHOLZII, V. Cl. obſeruationem de hydrocephalo interno continet, addita ſimul eorum, quae in cadauere inuenta ſunt, hiſtoria. Aquae in ventriculis cerebri anterioribus vnciae duae inueniebantur.

WAGLERI, V. quondam Ill. *annotationes de muſculo vteri orbiculari Ruyſchiano.* Eum ſubinde, non autem in loco, cui placenta adhaeſerat, obſeruaſſe B. vir aſſerit.

Nunc varia anonymi auctoris ſequuntur de cu- p. 492.
ratione dolorum capitis ſymptomaticorum, per vitrioli naphtham cum laudano liquido remixtam tentanda; de ſudore colliquatiuo roborantibus et acidis mineralibus ferratis ſanato; num ex inſultuum febrium intermittentium mutationibus bonum augurium formari queat; de ſublimato mercurio, aliisque praeparatis mercurialibus ſaliuationem nullam concitantibus; de camphorae quadam vegetatione; de ſanguinis poſt dentes extractos profluuio cohibendo, et de camphorae virtute, num refrigerans aut exaeſtuans ſit.

In PERCIVAL, V. Cl. probationem, acidis ſan- p. 508.
guinem ſolui, vberius diſſeritur. (Hoc tantum de vegetabilibus acidis, de mineralibus nullo modo valet. Lactis ſerum acidum acetumque diu in vſum vocatum febres putridas produxiſſe iam HALLERVS obſeruauit.)

De TAGLIACOTII chirurgiae editionibus EHRMANNI V. Cl. ad Editorem litterae.

De compilationum et realium indicum vtilitate anonymus auctor prolixe et egregie diſſerit.

De chartis phyſiographicis, calendariis littera- p. 539.
riis, caet.

In fine huius partis conſultatio medicorum quorundam Pariſienſium ſat lepide deſcripta eſt.

In

Vol. II. In altero eiusdem operis volumine, VI. ſolitas partes complectente ſequentia, continentur:

p. 1. TAVBE, V. Cl. *dyſenteriae autumno 1779 in Cellenſi regione graſſantis deſcriptio hiſtoriaque.* Morbus a diligenti et perſpicaci obſeruatore bene traditus eſt. Altera graſſantis dyſenteriae ſpecies biliosa, haud valde, ſi rite tractaretur, periculoſa, altera vero putrida, maligna, et maxime lethifera fuit.

p. 20. *Sylloge ſcriptorum* a CAMPER, V. Ill. editorum.

Additamenta ad HALLERI *bibliothecam botanicam*, auctore BLVMENBACH, V. Cl.

De electricitate et noua pulmonum docimaſia, librae ope inſtituenda, auctore DANIEL V. Cl.

p. 48. *Litterae* SWIETENII ad ANT. DE HAEN, de rixis inprimis, quas cum STOERKIO mouit.

De nouo HAARTMANNI *morborum ſyſtemate.*

p. 96. Morbum, quem WICHMANNVS, V. Cl. antea medicis propoſuerat, ELSNERVS, V. Cl. anginam pectoralem fuiſſe putat.

AFZELII de acido formicarum diſſertatio, in germanicam linguam translata a WEIGELIO.

p. 130. De cerebri hydrope, in quo longitudinalis ſinus inflammatus erat, BVCHHOLZIVS, V. Cl. prolixe et hoc modo diſſerit, vt obſcurus latensque hic morbus multum illuſtretur. De dolore capitis in occipitis regione vehementi, amaro in ore ſapore ſoporeque aeger conquerebatur. Pulſus non mutatus erat. Conuulſionibus poſtea obortis et paralyſi debilitas aucta aegerque mortuus eſt. Aqua in cerebri ventriculis collecta fuit.

p. 141. De rhei martiati praeparatione, virtutibus et vſu ACKERMANNVS, V. Cl. diſſerit. Caſu quodam rheo in ferreo mortario trito acetum adfuſum, indeque rheum ferreis particulis copioſis impraegnatum exortum eſt, vires aperitiuas ſimulque tonicas poſſidens, et ad cachecticos morbos, atrophiam,

phiam, ſanguinis ex vtero profuſionem, caet. inprimis vtile. De connubiis et doſibus rhei huius martiati.

De his, quae Gallis circa rem litterariam medicam Germanorum nota ſunt, exempla ſatis faceta adferuntur.

De peſte in Ruſſorum contra Turcas expeditione bellica obſeruata KLINT, V. Cl. diſſerit. Cl. Auctor 10000 aegros hoc morbo laborantes viderat, tractaueratque, et ex his obſeruationibus haec doctiſſima diſſertatio orta eſt. Contactu inprimis immediato peſtem in alios propagari, medicosque immunes a morbo manere, dum modo contactum aegrorum immediatum caueant; ſaepius tamen peregrinos et ſanos aduenas a peſte tentari. Veram peſtem eos tantum inuaſiſſe, qui eam immediato contactu hominum aut rerum peſte infectarum contraxerant; hos vero, quibus peſtis ſeminia alio modo communicata erant, et alio, hocque modo laboraſſe, vt diriſſimus quidem eorum morbus fuerit, peſtis autem nomine inſigniri non potuerit. Symptomata, prognoſis, curatio peſtis. p. 193.

Litterae ab ALBERTO AB HALLER *ad* SWIETENIVM, et ab hoc retro datae.

Nunc varia ſequuntur a WEIKARDO, V. Ill. docte, vt ſolet, conſcripta. Qua ratione vermes ex tenellis infantibus expelli queant. De arena in lotio a matre foetui ſuo communicata. De medicinis quibusdam ad cutaneos morbos inprimis efficacibus, et de lacertis aluo excretis.

Quid Anglis circa rem litterariam medicam Germanorum notum ſit, ex exemplis Ill. editor probat. p. 224.

Hiſtoria eorum, quae in cadauere Adami Friderici, Epiſcopi Bambergenſis, peripneumonia putrida demortui inuenta ſunt.

p. 248. Varia *pathologico-practica* et litteraria anonymus auctor (BÜCKING, V. Cl.) exhibet. Meloen Maialem ingentem ad vrinam emittendam stimulum excitasse. De gangraena sananda, et de sicca gangraena. De conuulsionibus infanti ex cerussae vsu superuenientibus. De medicamentis quibusdam antiquis, hodie pro nouis habitis. Morborum variorum, vesicae vrinariae puncturae, et epulidis rescissae historia.

Morborum autumno 1779 et vere 1780 historiam (ACKERMANNVS, V. Cl.) exponit. De haemoptysi, inprimis ab obstructionibus viscerum abdominalium, eaque sananda. Herniae incarceratae, cum aliis symptomatibus coniunctae, historia. De catarrhalibus febribus, biliosis alui profluuiis, caet. Tandem historia spasmi maxillae inferioris lethalis ex leuissima laesione regionis supraorbitalis exorti proponitur.

p. 300. FR. DE WASSERBERG examen chemicum oui in germanicam linguam translatum.

De progressibus venereorum morborum cohibendis Ill. editor praeclare differit.

De intestinali quodam vlcere sanato. Vlcere sponte paene in vmbilici regione aperto, ingens puris et vermium corruptorum copia emanabat.

p. 355. *De Stahliana luem bouinam curandi methodo.*

De essentia dulci, aut auri tinctura Halensi, auctore KLEINFELD. Eam ex sacchari quadam tinctura parari.

p. 401. *De noua Quinti Sereni Samonici* editione adornanda anonymus auctor (ACKERMANNVS) differit, simulque nouae suae editionis specimen addit.

De arsenici vsu interno quaedam ACKERMANNVS tradidit. Eum a chirurgis quibusdam dosi ingenti adhiberi ad melancholiam, aliosque morbos rebelles sanandos. De arsenici ad febres intermit-

mittentes vſu. Chirurgos, quos allegat, malos ab eo effectus haud obſeruaſſe. Inciſiones cuniculorum arſenico deuorato necatorum.

Vita Pauli S GRAEUWEN, Profeſſoris medici Groeningenſis, auctore BALDINGERO.

Supplementa ad MOEHSENII *V. Ill. ſyllogen imaginum medicorum illuſtrium*, auctore CROPP, V. Cl.

Morbi cuiusdam et extiſpiciorum poſt mortem hiſtoria (auctore HELD, V. Cl. medico Gerano doctiſſimo). Tumores in abdomine praeternaturales mira et paene nullo modo explicanda ſymptomata produxerant.

Morbi iam ſupra deſcripti medicisque a WICH- p. 500.
MANNO, V. Cl. ad enucleationem propoſiti hiſtoria vlterior, cadaueris que extiſpicia traduntur. Morbi cauſa in cordis polypo ſita fuit.

De infantibus recenter in lucem editis tractandis ACKERMANNVS, V. Cl. diſſerit. Ad variolas arcendas nil iuuare, ſi ſanguis ex funiculo vmbilicali, ante deligationem eius exprimitur. Cauendum eſſe, ne infantes ſtatim poſt partum lucis ſplendori exponantur. De balneis, et corporis cura, inprimis quoad formationem capitis et articulorum. De faſciis infantum et thoracibus ex laneo impili parandis. De capitis inuolucris, et ſpinae dorſi cura. Quinam victus infantibus maxime conueniat. Tandem de morbis infantum quibusdam agitur.

De aquae frigidae in catarrhalibus morbis, abdominali hydrope, pedum tumore KOOLHAASIVS, V. Cl. diſſerit, de violarum ſyrupo autem melius parando MERKIVS V. Cl.

Litterae CRELLII, V. Cl. ad Editorem datae, Vol. III.
obſeruationes quasdam practicas continentes. De p. 1.
ricini oleo in colica ſaturnina et iliaca paſſione bono

 laxante.

laxante. De dulcamarae in chronico rheumatiſmo vſu (de qua nos in omnibus aegris, quibus data eſt, parum leuaminis obſeruauimus). De opii cum acidis connubiis, arnicae florum vſu, frigidaque eorum infuſione praeferenda. Morbi ex febribus per vitrioli acidum turbatis.

p. 13. *Varia* BÜCKING, V. Cl. inſeruit. Menſtruo fluxu ſuppreſſo epilepſia cum variis ſymptomatibus oborta eſt. Vermes minuti per vrinam excreti ſunt. De albido martis vitriolo, ſalina quadam vegetatione. Mortis recepta definitio, num quadret? De pulſu per notas muſicas deſcribendo. De paronychia.

Non omnes formulas in GAVBII *libro occurrentes bonas eſſe*, Ill. editor probat.

Litterae medici cuiusdam peregrinantis a d. 29 Sept. 1780. De Academiae Lugduno - Batauae malo ſtatu. In orbe terrarum academiam Montispelienſi peiorem non dari.

CORN. CELSI *ex recenſ.* LEONH. TARGAE, *Pataui 1769. editi cenſura.* De CELSI codd. editionibus, caet.

Ad hiſtoriam quorundam medicamentorum hodie
p. 65. *adhiberi frequenter ſolitorum*, Ill. editore auctore. De Sabadillae ſemine, chinae chinae anima, caet.

De Suillo farcimine Gottingenſi, Ill. editore auctore. Bonitatem a frumento leuiter trito a ſuibus deuorato pendere, minutamque ex eo tempore fuiſſe, ex quo ſolanum tuberoſum inualuerit.

De libro WYERI GVIL. MVYS de fabrica muſculorum.

De morbo quodam epidemico *in Ruſſia frequen-*
p. 73. *ti et ſaepe lethifero*, auctore Cl. DU ROI. Cutis colorem in corporis quodam loco mutari et pruritum hoc in loco excitari. Inde ſummam anxietatem,

tem, mortemque oriri. Sanationem morbi in eo positam esse, vt corporis pars, in qua cutis mutata est, sale ammoniaco et nicotianae foliis impositis tractetur.

Sylloge quaestionum quodlibeticarum Parisinarum, Editore V. Ill. auctore.

VOGELII cogitationes de aqua suffocatorum tractatione rite instituenda. Bene et copiose elaborata tractatio est, in qua omnia paene consilia hoc modo suffocatis data expensa sunt. p. 97.

De singulari humeri tumore, ex fractura orto. Figura adiecta est.

De amborum pedum amputatione. Frigoris vis pedes tam vehementer in insano corripuerat, vt gangraena amputationem necessariam redderet. p. 129.

De primis figuris anatomicis ligno incisis, auctore BLVMENBACH, V. Cl. Sceleton primum in libro: *ortus sanitatis* 1490 in figura ligno incisa exhibitum esse, antiquissimas autem figuras splanchnologicas in *Kethami* fasciculo medicinae occurrere. p. 135.

Varias obseruationes iterum exhibet doctiss. BÜCKING. De corporibus praeternaturalibus in corpore diu delitescentibus. Historia curationis capitis vulneris cuiusdam, maxime memorabilis.

De balneorum ex aqua, in qua ferrum in grana redigitur, insigni vsu LENTIN, V. Cl. disserit. Virtutes huius aquae pendere a ferro in aere inflammabili soluto, aquae admixto. Balnea ex hac aqua in paralysi post apoplexiam, diuturna paralysi, articulorum diuturna debilitate, articulorum post arthritidem debilitate, scrophulis, puris in sanguine generatione, etc. insigni quodam modo valere, Cl. Auctor ex exemplis plurimis, quae fuse recensentur, probat. p. 193.

KOOLHAASII *obseruationes de aquae frigidae externe adhibitae ad varios morbos vsu continuatae*. Ex- p. 215.

 empla

empla adferuntur, quibus demonſtratur, aquam frigidam ad febres inflammatorias, variolas malignas, etc. valuiſſe.

Variae obſeruationes, auctore doctiſſ. BÜCKING. De cerebri laeſionibus, ſuppurationibus. Vlceris, ſ. carbunculi male exulcerati, ſeu mali mortui in regione lumbari hiſtoria.

p. 245. *Caſus vteri in partus doloribus* rupti.

Mammae vaſti tumoris hiſtoriam litterae MEYERI, V. Cl. ad editorem datae exhibent. Malum a laeſione externa ortum erat.

Nigri morbi hiſtoriam in puerpera exorti ZELLERVS, V. Cl. exhibet. (Nos ſimilem omni modo morbum poſt abortum obſeruauimus maxime periculoſum, hoc tamen modo, vt aegra, ſana nunc, ſeruaretur).

p. 274. *Quaeſtionum quodlibeticarum Pariſinarum ſylloge continuata* ab Ill. editore.

p. 289. BERGMANNI, V. Ill. *de terra ſilicea diſſert.* in germanicam linguam a WEIGELIO, V. Cl. verſa.

De crinonum infantili morbo, auctore ACKERMANNO, V. Cl. Crinones materiam perſpirabilem induratam eſſe. De optima huic morbo medendi methodo, balnei calidi ex aqua fecum et mellis ope.

p. 333. *De diro quodam luis venereae* contagio (eodem Cl. V. auctore).

Morbi conuulſiui, hyoſcyami extracto perſanati, hiſtoria.

Cicutae herbam in puluere cum melle datam plus valere, quam ipſum cicutae extractum, *Ill. editor* probat.

Ad medicinam ſacram et miraculoſam quaedam, ab Ill. editore.

De Rheo, quod Gothae colitur.

Litte-

Litteraria varia de libris anatomicis antiquis, p. 357.
qui in bibliotheca Ill. edit. aſſeruantur.

Librorum epidemiam putridam annor. 1771 et 1772. pertractantium Sylloge, BALDINGERO, V. Ill. auctore.

Cadaueris inciſio viri poſt capitis vulnus ipſi illa- p. 385.
tum demortui, auctore MEIERO, V. Cl. Intra calvariam duramque matrem ſanguis extrauaſatus, oeſophagus in cardiae regione a ventriculo vi ſeparatus, et ileum ieiunumque inteſtinum inter ſe ſuſcepta erant.

Variolarum inſitio defenſa a VOGELIO, V. Cl. Inprimis de modo variolas inſerendi agitur. Hiſtoriae quaedam additae ſunt.

De medicae rei Edinburgenſis ſtatu, et de inſtitutis medicis Edinburgenſibus.

Variolarum feliciter inſitarum hiſtoriae continua- p. 481.
tae, auctore VOGELIO, V. Cl.

De maniaca quadam iudicium medicum *phyſici* p. 523.
cuiusdam in libera quadam Imperii ciuitate *primarii.* Sat lepidum certe.

Morbi hiſtoria, a praeternaturali, vt videtur, viſcerum thoracis ſtatu exorti.

De tabulis meteorologicis recte inſtruendis. Talis tabula ad normam addita eſt.

Volumen quartum ſequentia continet: Vol.
MEIERI, V. Cl. *de capitis hydrope, cerebelli ſcirrho*, IV.
et elaſtico aere in ſanguine contento obſeruationes.

Conceptionis in ouario ſiniſtro, ex qua morbus p. 17.
lethiferus exortus eſt, hiſtoria, a GMELINO, V. Cl. conſcripta.

De his, quae recenter ex vegetabili regno in ma- p. 29.
teria alimentaria, medica, et naturali hiſtoria inuenta ſunt, auctore Cl. DU ROI.

Varia, anonymo auctore. Formulae medicae quaedam ſatis malae indoctaeque. Tales frequenter

in toto opere ſubinde lepidiſſimas inſeri curauit Ill. Editor. De fortibus purgantium doſibus, ſplenis dolore in curſoribus. Num medico medicamentorum agendi vim noſſe conueniat?

p. 86. *De* VESALII in Zacyntho inſula *epitaphio.*

p. 100. *De* DANOVII (profeſſoris quondam Theologiae in Ienenſi Acad. primarii) *morte.* Se ipſum doctus, quum diu ex hypochondriis laboraſſet, in aqua ſuffocauerat.

Vulneris in ſiniſtro cordis ventriculo poſt quartum diem lethalis hiſtoria, MEIERO V. Cl. auctore.

Eiusd. *de moſchi in ſpaſmis ope.* Se hanc medicinam inſigni cum vſu ſubinde adhibuiſſe.

p. 117. *Obſeruationes* quasdam SAVR, V. Cl. exhibet, de ſingulari quadam diplopia, poſt vim capiti externe illatam, extiſpiciorum adiecta hiſtoria; de contrafiſſura notabili et neceſſarie lethali poſt caſum ab alto.

KOOLHAASII, V. Cl. *continuatio obſeruatorum* de aquae frigidae externo vſu in febre acuta cum purpura rubra.

p. 127. *Hiſtoria inflammationis cruris dextri pedisque, cum vlceribus, veſicis aqua repletis et abſceſſibus, varioloſis ſimilibus.*

Morbus a *Culicis pipientis* L. morſu obortus fuit.

p. 147. *De vlceribus externis et craſſorum morbo* auctore WEIKARDO, V. Ill.

Epiſcopi Fuldenſis morbus enarratur, eiusque curatio.

VOGELII, V. Cl. *de his, qui aqua ſuffocati ſunt, vitae reſtituendis.* Adminicula quaedam in priori tractatione omiſſa recenſentur.

Iudicium medicum de quodam mente capto, MEIERO auctore.

In-

Insitarum feliciter variolarum historiae a VOGE-LIO recensentur. p. 225.

Varias iterum *obseruationes* BÜCKING, V. Cl. exhibet. De vesicae vrinariae quadam a vi externa laesione. De idiopathicis alui profluuiis vehementibus.

De catarrhali epidemia 1782. de apoplexia, paralysi, caet. WEIKARDVS quaedam differit.

De vino in S. coena caute dispensando. Cautum inprimis communis calicis vsum esse debere, ob variorum morborum contagium et hoc modo in alios propagatum.

Ad biblicam et medicam daemonologiam quaedam, ex *Garioponto.* p. 248.

Anonymi cuiusdam *auctoris variae obseruationes* in oxymellis squillitici, terrae Iaponicae, arnicae, camphorae, opii, aquae phagadenicae, caet. vsum.

Litterae ad ERHARDVM, botanicum, SCHEELE, V. Cl. de aeris factitii quibusdam generibus, sacchari acido, acido spathi, et HAGEMANNI, de acido salis dephlogisticato, et de martis quadam tinctura.

De pharmacopoliis recte instituendis instruendis, et de pharmacopolarum laboribus moderandis ERHARDVS differit.

Eiusdem *obseruationes pharmacologicae.* Gypsum subinde magnesiae substitui. De aliis magnesiae suspectis speciebus. De ranunculi ficariae foliis cochleariae herbae substitutis. De vuae vrsinae herba,-aliisque, quae facile ei substituuntur. (Nos nuper quum vuae vrsinae herbam praescriberemus, *brancae vrsinae* herbam ex officina pharmaceutica accepimus.) Tartari crystallos cuprum fere omnes continere, idemque et omnibus paene extractis amaris inesse. De tartari foliata terra, p. 310.

omnibus aliis mediis ſalibus praeferenda. De deſpumato melle ex officinis exterminando.

Botanica quaedam, eodem Cl. V. auctore.

Febris intermittens gratiolae officinalis vſu ſanata. Sedentariam vitam paucumque potum ad calculum viarum vrinariarum diſponere.

p. 345. Hydropis diureticis medicinis ſanati caſus, FVCHS, M. D. auctore.

Obſeruata quaedam medica ACKERMANNVS exhibet, de irritantium clyſterum (ex terebinthina, vrina et ſale ammoniaco compoſitorum) in hydrope inſigni vſu. De calidiſſimis medicinis phthiſicae propinatis.

Numerus eorum, qui ab anno 1772 vſque ad ann. 1781. Gottingae litteris, inprimis autem medicinae, ſtuduerunt.

p. 386. *Catarrhalem epidemiam anno* 1782 *in tota fere Europa graſſantem* ACKERMANNVS, V. Cl. deſcribit. Primum tempeſtas deſcribitur, tabulis meteorologicis etiam ad finem tractationis additis. Quosnam morbos tempeſtas primis quatuor menſibus anni 1782. hominibus intulerit. Febres remittentes billioſae frequentes fuerunt; plurimae inprimis puerperae aegrotarunt. Febris catarrhalis epidemicae formae variae, pleuroperipneumonia, catarrhalis febris ſtricte ſic dicta, aſthma conuulſiuum, catarrhalis febris, cum colluuie bilis in primis viis. Phthiſicos inprimis epidemiam affeciſſe. De medendi methodo.

Varias ſuas *obſeruationes medicas* idem Cl. vir continuauit. De periculo ex ſanatis antiquis crurum vlceribus. Talia vlcera aut e partium debilitate, aut ab humorum acrimonia (ſaepiſſime a viſcerum obſtructionibus et atrabiliaria materia) oriri; eaque tantum ſine metu ſanari poſſe, quae ex partium debilitate orta ſunt, hoc tamen modo, vt materiae,

teriae, quae ex vlcere effluxerat, ſemper alius exitus paretur. Morborum, pectoris hydropis et apoplexiae a talibus vlceribus ſanatis, hiſtoriae.

De effluuiis exhalationibusque corporis humani male olentibus, BÜCKING, V. Cl. auctore. De oris inprimis foetore, aliisque malis hominum odoribus. p. 425.

In medicamentorum formulas adnotationes vtiliſſimae doctiſſimaeque, auctore Ill. BALDINGERO. Hae inprimis a quouis medico legendae relegendaeque ſunt, ne in his deficiat.

De Geo vrbano, eodem V. Ill. auctore.

SOLANDRI *vita*, FORSTERO, V. Ill. auctore. p. 473.

Morborum quorundam hiſtoriae, MEIERO, V. Cl. auctore. Epilepſiae in grauida mortem inferentis hiſtoria. De ganglio praegrandi; de ingenti tumore in genu infantis, domeſtica medicina ſanato. (Lini ſtupa erat.) De venenatis fungorum, mytulorumque effectibus. veſicali hydrope, vlceribus praegreſſa inflammatione exortis, calculi per vreterem in vrinae veſicam deſcendentis ſanatione, de capite a trunco foetus, durante partu, auulſo; lethali poſt aromatum ad febrem intermittentem profligandam vſum epilepſia; febre maligna cum purpura bulloſa; podagra in virgine iuniore; cardialgia poſt caſeum Batauum copioſe ingeſtum. p. 481.

De rerum medicinalium pretiis, Ill. BALDINGERO auctore, et de pluribus ex catalogo mercium medicinalium exturbandis. p. 515.

De officinis pharmaceuticis viſitandis, MOENCH, V. Cl. auctore.

Quaenam experimenta cum mediis ſalibus inſtituenda viſitantibus ſint.

Morbi ſingularis hiſtoria, auctore WOELTGE, V. Cl. Hydatides in inteſtinis erant, cum aſcaridibus p. 560.

Ex

Ex litteris variis varia, lectu vtilia, finem huic voluminis faciunt.

Vol. V. Volumen quintum sequentia continet:

De caudis physiognomica quaedam, cum tabulis ligno incisis. Satyra est in eos, qui omnia ex capite hominis cognoscere cupiunt.

Varias obseruationes BÜCKING, V. Cl. iterum exhibet, de vesicae vrinariae vulnere, intestino colo rupto, hernia quadam exulcerata, phlyctaenis. Smaltam Saxonicam in lotricibus herpetem produxisse.

p. 35. *De febre miliari* EBERH. GMELINVS, V. doctiss. ex obseruationibus plurimis doctissime agit. De morbo miliari simplicissimo, eiusque periodis, de medendi methodo. Multa denique theoretica subnexa sunt, in quibus adseritur, primas origines febris miliaris in aeris ventilatione impedita latere, miliaremque adeo materiam miasma sui generis haud constituere.

p. 90. De his, quae in cadauere CAROLI XI. Sueciae regis, post mortem obseruata sunt.

De dispensatoriis pharmaceuticis recte instruendis, MEIERO, V. Cl. auctore.

De variolarum inoculatione experientiae singulares. Variolarum naturalium post inoculationem exanthematibus variolosis tamen non efflorescentibus tentatam, historiam exhibent.

p. 113. *De vulnerum lethalitate* METZGERI, V. Cl. tractatio. Quid sint vulnera absolute, per se et per accidens lethalia; eamque vulnerum diuisionem forensem satis firmo talo insistere.

p. 131. *Formularum medicarum male praescriptarum* exempla plura Ill. editor proponit.

Varia ex litteris sat digna notatu traduntur.

De medicinis ad vermes Ill. BALDINGER breviter differit, inprimis de filicis radice. (Nobis haec medicina ad taeniam haud saepe successit).

Ad

Ad historiam scriptorum de cortice Peruuiano, Ill. BALDINGERO auctore.

Historia litteraria scriptorum praecipuorum de conio maculato agentium, eodem auctore.

CARPIO, 150 *annorum senex*.

Numerosi partus historia a IAEGERO, V. Cl. editori perscripta.

Botanica varia ERHARDVS, V. Cl. iterum exhibet, plantasque nouas, *Moenchiam Honckeniamque* describit. p. 193.

Argumentum dissertationis GVIL. HARRISON, *de lue venerea*, Edinb. 1783. in qua ex obseruatis probatur, gonorrhoeam vere venereae indolis esse.

Ex litteris ad Ill. editorem datis plura notatu maxime digna perscribuntur, inprimis morbi maxime miri rarique historia, quo medicus quidam insignis laborat.

Varia sua iterum exhibet doctiss. BÜCKING. Ad ACKERMANNI, V. Cl. tractationem, de vlceribus crurum antiquis caute sanandis. Quomodo talia vlcera sanare expediat. De arcendis talibus vlceribus. Sudoris pinguedinosi historia. Sebum verum e poris prodibat.

Ad *Influenzae* historiam. Morbum ex America occidentali prodiisse, ASCH V. Ill. tradit.

Naphtarum hactenus detectarum historia, auctore Ill. BALDINGERO. p. 264.

De Iurisconsultis infanticidis. Eos in eo vehementer peccare, quod foetum ante certum tempus vitalem esse non putent.

Librorum, in quibus musea rerumque naturalium collectiones variae describuntur, catalogus. Varia alia.

De febre miliari tractatio Cl. ACKERMANNI, obseruationes ad GMELINI tractationem continens. De simplici febre miliari. Homines irritabiles, cute tenera praeditos, illi frequentissime obnoxios p. 289.

noxios esse. Subinde et hanc febrem epidemice grassari, hoc tamen semper modo, vt pauci corripiantur. Morbi materiem diu subinde, antequam erumpat in corpore delitescere. De capitis, pectoris aliisque symptomatibus, miliarium exanthematum prodromis. Putredo num solus febris miliaris effectus sit. De febris miliaris complicationibus, cum pectoris inflammatione, caet. cum febre putrida tunc demum inualescente, vbi exanthemata iam eruperunt. Historia febris miliaris talis, inprimis quoad purulentam exanthematum formam, singularis. De febris miliaris complicatione cum puerperio. Varia ex morborum historiis desumta corollaria traduntur, et tandem medendi methodus exponitur. Arcani duplicati in inflammatoria febris miliaris periodo laudes. Vesicatoria quem in finem applicanda sint. Minera-
p. 322. lia acida ad miliarem febrem non valde valere.

Varia sua iterum exhibet Cl. BÜCKING. De scabie sananda, et de methodo Ill. SCHMVCKERI ad eam (cuius omni plane modo exoptatos successus nos saepius, ex eo tempore, quo haec metho-
p. 385. dus innotuit, obseruauimus).

Varia sua continuat doctiss. BÜCKING. De medicinis ad scabiem, paene omnibus cognitis, earum-
p. 447. que censura.

Historia mulieris, cui plures acus e cute, cultri ope exscindebantur.

Obseruatio de vermibus in mamma generatis, ex veteri diario perscripta a Cl. WEBER.

Formulae medicamentorum incongruae.

XX.

XX.

IOHANN VLRICH BILGVER, *Verſuche und Erfahrungen über die Faulfieber und Ruhren, dem häufigen Sterben bey den Armeen und in den Feldlazarethen künftighin Gränzen zu ſetzen. Berlin, bey Heſſe.* 111. *S. in gr.* 8. 1782.

i. e.

De febribus putridis et dyſenteria, deque modo horum morborum crebram lethalitatem in noſocomiis militaribus minuendi, Auctore IOANNE VLRICO BILGVER.

Putridarum febrium dyſenteriaeque in vltimo Pruſſico bello in eo inprimis exercitu, cui Rex praefuit, peſſimam multisque militibus lethalem ſtragem obſeruauit auctor Clariſſimus libroque de articulorum amputatione caute aut plane non inſtituenda celeberrimus, hocque breui quidem, ſed ob multa, quae continet, experimenta lectu digniſſimo libro methodum proprio ſuo vſu probatam exponit, hos morbos tutius curandi.

Primum de inſigni damno agit, quod putridis p. 16.
morbis militaribus exercitibus infertur, idque tantum fere aeſtimat, quantum ab ipſa peſte infertur, quam his febribus multo maligniorem eſſe haud putat. Dimidiam his morbis correptorum partem iis vtplurimum necari aſſerit.

Quantum damnum hominibus veterum de his p. 19.
morbis theoriae vanaeque opiniones intulerint, Cl. auctor ex exemplis probat. SYDENHAMVM veram his morbis medendi methodum primum reſtauraſſe.

De experimentis cum carnibus animalium putreſcentibus medicinisque huic putredini contrariis inſtitutis recte aeſtimandis eorumque vſu. His experi-

experimentis GVILIELMVM ALEXANDRVM modum putridos morbos facilius curandi primum inveniſſe.

p. 22. De *proxima putridarum febrium cauſa* altera ſectione Cl. auctor diſſerere pergit. Phaenomena putredinis incipientis progredientisque. Differentiae putredinis primas ſecundasque vias occupantis. Fluidas partes primario a putredine affici, eamque ab his in ſolidas partes propagari.

p. 25. Sectione III. *de remotis febrium putridarum cauſis*. Primam putredinis in viuente animali corpore praepeditae cauſam in humorum motu, alteram vero in alimentis, aliamque in aëre puro nos ambiente ſitam eſſe.

p. 31. Quibus expoſitis, aëris ad putredinem producendam vis vlterius expenditur. De calore putredinis cauſſa, deque caloris gradu, putredinis originibus maxime fauente, nec non de effectibus caloris inprimis aeſtiui in corpus animale. Quantum humor calori adiunctus ad putredinem conferat.

Quibus praemiſſis, exhalationum putridarum noxas Cl. Auctor expendit. Vegetabilium putreſcentium exhalationes innoxias eſſe, ſtercusque humanum et animale omne ob *acidam* ſuam naturam (?) putredini aduerſari, maximam autem vim ad putredinem producendam augendamque animales exhalationes habere. De motu nimio et perſpiratione ſuppreſſa (nulla tamen mutationis mentione iniecta, quam ſuppreſſa aeſtiuo tempore perſpiratio, inprimis in diſpoſito corpore, in bile producit, quam acerrimam putridamque citiſſime reddit) putredinis cauſis. Victum animalem, nullo vegetabili interpoſito, aquas ſtagnatione corruptas, alimenta ex regno vegetabili corrupta vappidaque, omniaque denique ea, quae ſanguinis circulationem minuunt, et ſolidarum

rum partium robur debilitant, ad putridas febres in militibus diſponere.

Noua ſectione *putredinis effectus in viuente corpore* deſcribuntur; in debilitate et cohaeſionis deſtructione ſolidarum, fluidarum partium a mixtione ſua alienatione, motuque inteſtino in ſolidis et fluidis partibus conſiſtentes. De his ad ſymptomata ſignaque febrium putridarum tranſitus eſt. Pathognomonicum putridi acuti morbi ſymptoma virium proſtrationem inſignem cum pulſu celeri debilique eſſe, (?) talemque morbum gradu caeteris intenſiorem malignum vocari. p. 55.

Prognoſi putridarum febrium breuiter tradita, ad *curationem febrium putridarum* tranſitus eſt, quae libri pars longe plura lectu digniſſima, et eam ob cauſam vtiliſſima continet, quod experientiis in noſocomiis militaribus, quibus Cl. Auctor praefuit, crebro inſtitutis, nitantur. p. 68.

Expoſita medicamentorum putredini reſiſtentium in corpora animalium tam mortuorum, quam viuentium, vi, et reſorptionis negotio in horum remediorum effectu deſcripto riteque aeſtimato, novam ſuam febribus putridis medendi methodum Cl. Auctor deſcribit.

Ex exemplis creberrime occurrentibus ſcilicet didicerat, et optimis efficaciſſimisque adhibitis ad putredinem propellendam internis medicinis plures aegrotos ſuccubuiſſe, harum frequentium mortium cauſas ei tribuit, quod medicinae ad putredinem vim efficaciſſimam habentes nimis parca quantitate per os ingeri queant, quam vt tam late vagantem inimicum ex omnibus partibus profligare poſſent; in praeſeruandis enim animalibus contra putredinem ſubſtantiis opus omnino eſſe, vt vis medicamenti putredini aduerſi ipſam putredinem longe ſuperet. p. 81.

Vbi itaque ſupponas humorum in humano corpore quantitatem libras 50 aequare, hosque humores omnes putredine correptos eſſe, nullo plane fieri modo poſſe, vt huius putredinis vis medicinis internis debelletur, quum tantam medicamentorum molem corpus humanum ferre nequeat (virium tamen naturae medicatricium, a BRENDELIO, SCHROEDERO aliisque tantopere celebratarum Cl. Auctor nullum plane reſpectum habuit, corpus humanum viuens putrida febre correptum vt tale paene conſiderans, cui antiſeptica maſſa adfunditur). Neceſſarium itaque eſſe, vt praeter internum medicamentorum ad putredinem cohibendam vſum et aliae viae inueniantur, quibus efficacibus ad putredinem medicinis liber ex omni parte in intima corporis penetralia aditus dari poſſit. Eum in finem talium medicinarum ſub balnei forma externe adhibitarum vſum momenti maximi; in harum autem vſu interna medicamenta, inprimis putrida maſſa in primis viis praeſente, non negligenda eſſe. Vinum inprimis ſubauſterum, emeticis, etc. primum adhibitis, ad hanc indicationem in exercitu Regis contuliſſe.

p. 91. Interno antiſepticorum conuenientium remediorum vſu, ad putredinem efficacius in putridis febribus corrigendam diligenter obſeruato, externe ad eundem finem balnea ex medicinis putredini contrariis adhibenda eſſe, ex forti chamomillae infuſione, et decoctione corticum quernorum teneriorum ℔ IV. in quibus nitri librae duae ſolutae ſint, conſtantia. Calorem balnei, vt adſtringens illius vis minuatur, ad naturalem corporis humani calorem accedere debere, eoque iam calore ſanguinem in putridis morbis, ob praeternaturalem in modum auctum ſuum calorem, refrigerari. Harum

rum medicinarum vaporibus et aërem potentiſſime corrigi.

Aliis, quae ad communem febribus putridis medendi methodum pertinent, diſcuſſis, ad febres putridas cum efflorescentiis in cute coniunctas eandem medendi externam cum interna coniunctam methodum laudat, ab iisque ad *dyſenteriam* tranſit, p. 104.
ad quam clyſteres ex corticis Peruuiani decoctione cum vino, balnea putredini aduerſa et cutis cum aceto calido lotionem laudat.

In experimentis ad finem opuſculi poſitis Cl. p. 105.
Auctor narrat ſe 41 aegrotos milites, caſtrenſi febre et dyſenteria putridis laborantes, hoc modo exoptatiſſimo cum ſucceſſu ſanaſſe, vt iis in amplis conclavibus, aëri aditum omnem permittentibus, ſparſim decumbentibus internas quidem medicinas, ipecacuanham rhabarbarumque daret, quas autem quum ferre non poſſent, eos in balneum calidum ſupra deſcriptum hoc modo immitti iuberet, vt primum per horae quartam partem, poſtea vero per integram horam, matutino ſemper tempore, balneo hoc medicato vterentur. Ad lectum aegrotorum infuſio corticis Peruuiani cum aceto nitroque poſita fuit, iniectis candentibus lapidibus in copioſos vapores concitata, quos vapores, ore admoto, aegri inhalarunt. Nec corporis lotio cum aceto, nec clyſteres neglecti ſunt. De internis medicinis praeter opiatam medicinam, omni veſpertino tempore exhibitam, vix aliquid dari potuit. Succeſſus curationis hoc modo inſtitutae autem talis fuit, vt inter hos 41 aegros grauiſſime decumbentes 37. euaſerint.

XXI.

BERNHARD RAMAZZINI'S *Abhandlung von den Krankheiten der Künſtler und Handwerker, neu bearbeitet und vermehret von Dr.* IO. CHR. GOTTL. ACKERMANN. *Erſter Band. Stendal.* 1780. *in* 8. 21 *Bogen. II. Band.* 1783. 328 *Seiten, ohne Vorreden und Regiſter.*

i. e.

BERNH. RAMAZZINI tractatus de morbis artificum nouis curis recognitus auctusque, additamentis a IO. CH. G. ACKERMANN. Vol. I. II.

RAMAZZINII librum de artificum morbis, paene vnicum, Cl. editor hoc modo variis additamentis illuſtrauit, vt partim ea, quae in aliorum libris circa opificum morbos obſeruata inueniret, eaque, quae ipſe circa hos morbos frequenter obſeruauerat, diligenter notaret, et in concinnum ordinem digereret, partim etiam varia, nullam lectori vtilitatem afferentia, inprimis ad varias theorias pertinentia, in RAMAZZINII libro frequenter obuia, plane omitteret. Hoc modo factum eſt, vt omnia in RAMAZZINII opere obuia capita, iis tantum exceptis, vbi de oleariorum, caſeariorum, fullonum, lotricum, piſtorum et molitorum frugum, tabacopoeorum, ſericearum placentarum carminatorum, iatraliptarum, ſulphurariorum morbis agitur, nouo editoris labore ſuisque additamentis nouam plane formam nacta fuerint.

Totum autem opus, praemiſſa introductione de cauſis morborum, quibus opifices tentari ſolent, in VIII Sectiones diuiſum eſt, quarum quaelibet artificum claſſem comprehendit, praemiſſa in fronte

te cuiuslibet sectionis generali causarum, quibus haec opificum classis exposita est, pertractatione.

Prima sectione *sordidorum opificum* morbi pertractantur, in eaque de coriariorum morbis primum agitur. Coriarios a putredine substantiarum, quas tractant, quidem laedi, verum non vehementer, imo putridos morbos in his opificibus rarissimos esse. Morbos eorum ab humore, aliisque, quae iis communicantur, acrimoniis deriuandos esse, coriariorum adeo opificium ob exhalationes putrescentium substantiarum nullo paene modo nociuum esse, sed ob frequentes ex eo antisepticos vapores contra morborum putridorum imo pestis contagium homines tueri. De interna corticum quernorum teneriorum virtute externoqne eorum vsu inprimis ad putredinem in gangraena senili nullo modo cohibenda exstinguendam. p. 9. p. 23.

De balneorum ex laconico coriario vsu plura Cl. editor habet, eaque antiseptica, balsamica et roborante vi haud mediocri gaudere asserit. Vsum eorum in articulorum infirmitate, scabie, etc. egregium esse, eoque forte et intermittentes febres, imo putridas, debellari posse.

Saponariariorum morbos plurimos Cl. editor esse asserit, multumque his vaporibus et vicinos laedi. p. 31.

De *fullonum* morbis caput paucis additamentis locupletatum est. Eorum nomine tamen et eos, qui pannos laneos crassiores texunt, editor comprehendit.

De *lanionum* morbis, caussisque, quare hi homines, quoad sanitatem suam tolerabilem vitam agant. Laedi tamen et duros hos homines ab acrimonia in humoribus generata, solidorumque debilitate. (Laesionum tamen variarum externarum, quibus laniones prae aliis obnoxii sunt, editor nullam men- p. 52.

tionem fecit.) De officinis lanionum animalibus mactandis dicatis earumque maxime noxiis contagiosisque subinde effluuiis. Plures etiam laniones hoc modo laedi, quod animalia aegrota, aut bouina lue correpta, mactent. De morbis etiam ex esu carnium ab animalibus morbo laborantibus agitur.

p. 61. De morbis eorum, qui mortuos curant, vespillonumque, vbi et noxae sepulturarum in templis et in aliis locis hominibus vicinis expenduntur.

Foricariorum morbi plurimi enarrantur, omissis tamen praesidiis, recenter in Gallia ad morbos ex hoc sordido labore minuendos excogitatis.

p. 81. Lotricum morbi sat fuse ab editore descripti sunt, cachectici et ab acrimonia extus in humores illata pendentes, nec non oculorum morbi, quibus saepissime expositae sunt. Quantas noxas corpori lotio linteorum materiis morbidis, inprimis contagiosis, infectorum inferat, quantumque talis lotio ad epidemicos morbos conferat.

p. 120. Pertractatis fuse obstetricum et nutricum morbis, altera sectione ad tales opifices transitus est, qui in suo labore inprimis a puluere laeduntur, quosque Cl. editor *puluerulentos opifices* appellat. Praemissis generalioribus de locis corporis humani, quae a puluere inprimis laeduntur, deque generalioribus pulueris praeternaturali modo in corpus illati effectibus ad pistorum et molitorum frugum morbos transit. Pistorum morbos a farinae puluere et calore maxime intenso paene omnes pendere, eamque ob causam et eorum morbos in magnis vrbibus, vbi plurima pars panis ad communem vsum necessarii a pistoribus parari solet, longe frequentiores esse. De amylopoeorum morbis, vbi et de acrimonia, quam amylo insitam esse RAMAZZINIVS putabat, plura occurrunt. Eam tamen acrem et rodentem vim, quam in teneriora inprimis lintea exserit,

exſerit, cobalti vitro, ſmaltae nomine ei admixto, vbi ad lintea firmanda adhibetur, Cl. editor adſcribit.

De morbis eorum, qui comas adoptiuas capillamentaque parant, in quibus, editore obſeruante, vtique irritans et exedens quaedam amyli vis conſpicua eſt. Oculos inprimis opificibus ab amylo in tenuiſſimum puluerem trito inflammari, pulmones irritari, et taeniarum generationi hoc puluere anſam praeberi. Variis etiam digitorum morbis, inprimis ſtupore quodam digitorum, cum mouendi eos difficultate hos opifices tentari. De morbis eorum, qui lapides et calcem viuam tractant, pariter ab internarum partium irritatione et eroſione pendentibus. p. 141.

Morbis eorum, qui in frugibus purgandis, et in tabaco praeparando occupati ſunt, pertractatis, (quae vero capita paucis tantum a Cl. editore additamentis locupletata ſunt) eorum morbi pertractantur, qui in ſerico praeparando carminandoque, et in lana, goſſypio, cannabi et lino carminandis praeparandisque verſantur.

Sericearum placentarum carminationis noxae ex RAMAZZINIO penitus traditae ſunt; lanae autem carminationis noxas, ab adipe veteri rancido, quo lana carminanda copioſe obducitur, et a carbonum calore pendentes editor tradidit. His opificibus pectoris morbos a frigida in pulmonibus accumulata pituita oriundos frequentiſſimos eſſe. Noxas plurimas timendas his hominibus eſſe, qui in conclauibus, in quibus lanae hoc modo carminatae magna pars aſſeruatur, noctes inprimis tranſigunt, eosque inprimis catarrhis ſuffocatiuis affici. p. 168.

Goſſypii carminationem pluribus etiam, ob puluerem maxime irritantem, qui hoc labore durante attollitur, et maxime rebellibus morbis anſam praebere, et in his morbis lippitudinem diuturnam et p. 173.

pulmonum quosdam morbos eminere. De cannabis linique in aqua maceratione maxime noxia, deque noxis harum materiarum, ſiccatione praegreſſa, carminatarum plura exempla proponuntur. Pulmonum magnorumque vaſorum in thorace contentorum morbos, maxime rebelles hoc labore inprimis produci.

Tertia ſectione *morbi ſtantium, ſedentariorum et ambulantium artificum* exponuntur, tractatione generali quadam praemiſſa, in qua de noxis, ex vno eodemque corporis ſitu diu obſeruato redundantibus, agitur.

Textorum morbi primo capite pertractantur, hoc modo, vt primum de modo agatur, quo hi opifices labores ſuos peragunt. Seſſio, inprimis antrorſum flexo corpore, pectore ad iugum pectorale firmato, maximas noxas producit. Nec ad has noxas, et vehementiſſimas, durus labor requiritur, quum et a leuiſſimo tali labore, a textura v. g. cingulorum, quibus Poloni corpus cingunt etc. morbi maxime rebelles producantur. Sufficit et in leuiſſimo tali labore corporis ſitus praeternaturalis diu conſtanterque obſeruatus, ad morbos et diriſſimos producendos. Linteorum pannorum textores a morbis textoribus ſuetis longe rarius corripi, huiusque experientiae rationem in eo poſitam eſſe, quod hi opifices, quum latiores pannos vtplurimum texant, abdomen in ipſo labore ſuo frequenter moueant, corporisque ſitum aliquo ſaltim modo mutent.

De pectoris horum opificum morbis, pituitae decubitu, aſthmate, iisque creberrima haemoptyſi, partim a pectoris ad iugum firmatione, partim et a ſuccuſſione ſat in texendis pannis denſioribus vehementi pendentibus. (ad hos et laborum genus, quo brachia exercentur, multum confert) De

pedum

pedum frigidis tumoribus, quibus mulieres huic operi incumbentes frequentius tentantur, ſcabie, his opificibus frequentibus. Plures iis etiam morbos eſſe a laeuigatione denſiorum pannorum, quae pumicis ope fit, (a glutine, quo fila obducuntur) et a farinae polenta, qua fila inprimis lintea, vt extenſionem melius ferant, obduci ſolent.

De morbis eorum, qui tibialia texunt, altero p. 192.
huius ſectionis capite, et primum quidem de corporis ſitu durante hoc labore obſeruato, et de partibus, quae eo maxime affici ſolent, agitur. Pectoris morbos his opificibus omnibus aliis frequentiſſimos eſſe, raroque talem opificem in labore ſuo ſtrenuum, et iuuenem dari, cuius pectus ab omni labe immune ſit. Hos morbos inprimis ad haemoptyſin et ad phthiſin pulmonalem accedere. Abdominales etiam morbos, inprimis viſcerum infimi ventris obſtructiones infarctusque, his opificibus valde frequentes eſſe, nec non oculorum laeſiones a nocturnis laboribus, et filorum, quae tractant, puluere productos. Ad has inflammationes corticem Peruuianum externe in decoctionis forma frigide impoſitum optimam medicinam eſſe. Hypochondriacum malum his opificibus frequentiſſimum eſſe, paucosque dari, operi ſuo aſſidue incumbentes, qui ad notabilem quendam ſenectutis gradum perueniant.

De morbis eorum, qui pannos laneos magnis p. 197.
forficibus tondent, tertio capite agitur. Hos frequentes his opificibus morbos inprimis in vitiis magnorum vaſorum in pectore contentorum, aneuryſmatibusque conſiſtere.

De ſutorum ſartorumque morbis, quorum corpus, ob praeternaturalem conſtantemque durante labore ſitum, vehementer laeditur. Plurimos opifices talis generis impuros humores, et occulta pe-

ctoris vitia, inprimis magnorum vaſorum aneuryſmata habere, hos tamen morbos in ſutoribus longe frequentiores eſſe, ſartores autem hypochondriaco malo et ſcabie magis affici.

p. 214. De curſorum morbis, pectorisque dilatationibus, iis frequentibus, quae et in equiſonibus iisque, qui rhedis crebro vehuntur, frequentiſſimae ſunt. De herniis equitum aliisque morbis, ac de equitationis ad morbos varios inſigni vtilitate.

De baiulorum morbis alio capite agitur, modisque, quibus hoc vitae genus corpus laedere poteſt. De leni ſubluxatione vertebrarum dorſalium, eamque ſanandi modo. De ſubitaneis morbis mortibusque, quibus baiuli frequenter ob nobilium viſcerum, aut vaſorum, ex nimio nixu ſciſſuram expoſiti ſunt.

De gladiatorum et Iudaeorum morbis capita nullis aut parcis ſaltim additamentis ab editore dilatata ſunt. Plurimos morbos Iudaeorum à ſordida, quam agunt, vita, et a ſordidis, quas tractant, rebus, proficiſci.

p. 239. Quarta ſectione, generalioribus iterum praemiſſis, de morbis opificum agitur, qui in laboribus ſuis aquae frequenter expoſiti ſunt. In his primum locum balneatores occupant, alterum piſcatores nautaeque, tertiam ſalinarii, in quo ea, quae circa ſalis cocturam FR. HOFFMANNVS ſcripſerat, diligenter notata ſunt.

De morbis a vino aut cereuiſia fermentantibus productis quarto capite agitur, nec non de morbis, quibus ii expoſiti ſunt, qui ardentes ſpiritus parant. Gas Helmontianum hoc modo necare, vt apoplexiam inducat.

p. 272. Noua ſectione, qua huic volumini finis imponitur, morbi variorum artificum pertractantur, qui ad caeteras claſſes referri haud poterant.

Primo

Primo capite de morbis eorum agitur, qui in magnis officinis, cum pluribus aliis, opificio ſuo incumbunt, peculiari tamen ad textorias tales officinas reſpectu habito. Morbos in his officinis intendi, ob frequens, quod in iis occupati cum aliis alunt, commercium, facilius contagioſorum morborum contagium, et vehementiores materiarum cum quibus opifices occupari ſolent, ob maiorem earum quantitatem, noxas. Eam ob cauſam cachexiam, intermittentes febres, cutaneos morbos varios, inprimis ſcabiem, morbosque ab inconſiderate retropulſa ſcabie oriundos, pluresque morbos epidemicos, exceptis tamen mere inflammatoriis, in talibus officinis frequentiſſimos eſſe.

Artificum ſubtiliſſima artificia exercentium labores altero capite expenduntur, qui quum ſedentariam vitam degant, plurimos et cum his communes morbos habent. Viſus tamen acies in his artificibus inprimis minuitur, ob viſus acutiem, quam omnes ſubtiles labores requirunt. Multum etiam oculos a ſplendore metallorum, nocturnis inprimis laboribus, laedi. De perſpicillorum ad aciem oculorum conſeruandam vario vſu. (Hypochondriaci mali et neruorum ſenſibilitatis in his artificibus paene ſummae, et ſat frequenter obuiae mentionem Cl. editor nimis parcam fecit) p. 282.

De rhetorum, cantorum, tibicinum etc. morbis nouo capite agitur. Quae partes oratione, cantu, cum iisque coniuncta corporis actione, maxime laedantur, primum exponitur, poſtea vero de morbis ipſis agitur. In his primum locum herniae occupant, frequentiſſimum in his omnibus hominibus morbi genus, et monachos eam ob cauſam, aliosque frequenter corripiens. Caput qua ratione in cantoribus laedatur, pectusque, cuius viſcera in his hominibus paene omnibus inprimis laborant,

ita

ita vt plurima eorum pars ſanguinis ſputo laboret. Aneuryſmaticos praecordiorum morbos in his, qui tibiis, aliisue talibus inſtrumentis muſicis cantant, frequentiſſimos eſſe. Denique de ruricolarum agricolarumque morbis agitur.

Altero volumine morbi eorum artificum pertractantur, qui aut in metallis mineralibusque fodiendis, aut in metallis mineralibusue corporibus tractandis occupantur.

Sextam ſectionem, in hoc volumine primam, metallifoſſorum, eorumque morbi occupant, qui in mineris metallicis praeparandis liquandisque occupantur, praemiſſaque quadam introductione, in qua de originibus horum morborum, praeſidiisque valetudinis generalioribus agitur, primo capite *metallifoſſorum* morbi pertractantur.

p. 8. Primum de praeſentaneis vitae periculis, quibus in tali opere verſantes expoſiti ſunt, agitur, eaque partim in variis corporis laeſionibus ab externis cauſis, caſu, lapidum vi, etc. accidentibus, partim etiam in aëre praeternaturali, ad reſpirationem inepto, poſita ſunt. Pertractata diligenter differentia, quae inter athmoſphaericum eumque aërem intercedit, qui in fodinis metallicis naturali modo continetur, ad alias aëris ſpecies, quae ſub *vaporum mephiticorum* nomine in fodinis metallicis ſaepe euoluuntur, Noſter tranſit, modum, quo haec aëris genera necant, varium conſtituit, eoque demonſtrat arſenicalibus vaporibus vim ad has mortes valde exiguam tribuendam eſſe. Genera autem vaporum, qui ſub aëris mephitici nomine metallifoſſores frequenter necant, ex Noſtri ſententia ſequentia ſunt:

p. 15. 1) fixus aër, qui vero in naturae officina nunquam (aut raro certe) purus praeparatur, verum ſemper

per phlogiſto impraegnatus eſt, quod adeo partem conſtitutiuam huius aëris conſtituit.

2) fixus aër, cum maiori aut minori phlogiſtici aëris quantitate mixtus. Talem aërem aquas pyrmontanas fodinasque effoetas, ob variam in iis putredinem emittere.

3) fixus aër, cum inflammabili aëre remixtus. Hi vapores inter omnes frequentiſſimi ſunt, eoque modo necant, vt ignei principii excretionem per pulmones penitus impediant.

4) aër mere inflammabilis, qualis in carbonum fodinis aliisque vitae foſſorum inſidias ſtruit. Ad hunc aërem et ſulphuris vapores, etc. referri debere.

5) aër purus, atmoſphaericus, cum metallicis aut mineralibus vaporibus remixtus, ad quos inprimis mercuriales et arſenicales referendi ſunt.

In corporis ſitu, quem in hoc labore occupati durante eo ſeruant, alia morbos generans cauſa ſita eſt, aliaque in ipſo laborum, quem obſeruant, modo. Laborum inprimis, qui ſurſum erectis brachiis peraguntur, noxae intenſiſſimae expenduntur.

Tandem et plurima corpora peregrina in hoc labore occupati corpus petunt. Puluis metallicus mineralisque totam eius ſuperficiem ambit, externis internisque corporis partibus ſe inſinuans, varie acris, varias et acerrimas vtplurimum materias minerales continens, in quibus arſenicales, et plumbeae, mercuriales, caet. inprimis eminent. Tandem et metallifodina humore eam continuo irrorante madet, quae cauſa et plurimum ad varios ex hoc labore morbos producendos confert. p. 26.

Quibus praemiſſis, ad ſpeciales metallifoſſorum morbos Noſter tranſit, in quibus morbi catarrhales varii, coryza, febres catarrhales rheumaticae, rheumatiſmi diuturni, caet. inflammatorii morbi, tales inpri-

inprimis, qui de ſanguinis accumulatione in certa quadam parte dependent, oculorum, colli inflammationes, capitis dolores, eryſipelas, cachectici morbi, pedum tumores frigidi, internorum nobiliorum viſcerum obſtructiones, atrophia, caet. inprimis eminent.

p. 47. Singulare morbi genus, quo metallifoſſores frequenter corripiuntur, *montana lues* (*die Bergſucht*) conſtituit, in quo duae ſpecies, *montanum aſthma*, et *phthiſis pulmonalis montana* diſtinguendae ſunt, quarum quaelibet ſingularem, per ſe exiſtentem morbum conſtituit, hoc tamen modo, vt phthiſis pulmonalis montana montanum aſthma ſaepe excipiat. Symptomatibus, extiſpiciis, caet. eorum expoſitis, qui aſthmate montano mortui ſunt, ad phthiſin pulmonalem montanam Auctor tranſit, cuius cauſas, ſymptomata ſtadiaque varia deſcribit.

p. 59. Altero capite hi morbi pertractantur, qui a foſſione certorum quorundam corporum mineralium minerarumque oriri ſolent. Primum de vitriolo, alumine, et ſulphure agitur, (quidam tamen morbi ex aluminis iam effoſſi praeparatione oriundi omiſſi ſunt) poſtea vero de mercurii foſſione, in ea occupatis maxime noxia, immo ſaepiſſime lethifera.

p. 64. Tertium caput eorum morbos comprehendit, qui in mineris metallicis praeparandis, liquandis, caet. occupantur, eosque frequentiores quidem metallifoſſorum morbis eſſe, verum non tam lethiferos, huiusque ſalubritatis cauſam in aëre puro, in quo hunc laborem peragentes degunt, ſitam eſſe.

Modi nunc varii metallicas mineras praeparandi exponuntur, inprimis minerarum mallei ope comminutio, et cum aqua tractatio. Poſtea ea, quae circa minerarum liquationem ſanitati inimica occurrunt, pertractantur, eorum inprimis mentione iniecta, quae ignis actione durante ſub vapo-

vaporum forma in aërem eleuantur. Calorem intenſiſſimum, cui in hoc opere occupati expoſiti ſunt, plurimum ad varia valetudinis damna producenda conferre, vapores vero, qui durante liquatione minerarum adſcendunt, ſulphureos, ex zinco conſtantes, antimoniales, arſenicales, caet. eſſe, et propria ſua vi nocere.

De ſmaltae ex cobalto praeparatione, ab eaque pendentibus morbis pluribus agitur. Hos morbos quoad origines ſuas in arſenicalibus vaporibus, qui eo labore durante, quo cobaltum in vitrum conuertitur, emittuntur, in ſubtiliſſimo acutiſſimoque ſimul puluere, qui ſub ſmaltae praeparatione facile ſe in corpus hunc laborem peragentis inſinuat, et in continuo paene madore ſitos eſſe. p. 81.

De plumbi vaporibus his hominibus in omnibus paene ſuis laboribus maxime nociuis de variis modis, quibus in corpus perueniunt, deque agendi eorum modo prolixe agitur. p. 86.

In peculiaribus autem morbis a plumbi vaporibus aliisque cauſis accedentibus oriundis *ſaturnina colica* eminet, cuius ſymptomata, variae origines, extiſpicia, caet. accurate deſcribuntur. Plura etiam de modo huic morbo medendi Noſter habet. Maximos effectus a pinguibus ſubſtantiis copioſe deglutitis ad praecauendum et curandum dirum hunc morbum exſpectari poſſe, aſſerit. p. 94.

Quarto denique huius ſectionis capite *praecipui modi metallifoſſorum morbos auertendi curandique* exponuntur. Ea, quae ex improuiſo his foſſoribus accidunt, maxime timenda, vtplurimum cautione in his rebus neceſſaria adhibita, caueri poſſe, neque multos in locis, vbi plurima metalla effodiuntur, in Hercynia ſylua v. g. hoc improuiſo modo vita priuari. Aëris fodinarum p. 111.

rum cum athmoſphaerico communicationem ſemper ad cauendos diluendosque mephiticos vapores intercedere debere, nec hac communicatione omne ſemper vitae periculum auferri, quum hi vapores ſaepe ſubito in corpus ſolitarii foſſoris irrumpant. Ad excitandos eos, qui his vaporibus vitam amiſiſſe videntur, *alcali volatile fluor* Noſter inprimis laudat.

Mercuriales vero vapores a corpore arcere aut corrigere maxime arduam rem eſſe, neque pinguia, oleoſa, inuoluentia, eum in finem a variis laudata ſemper conducere, quum hominibus mercurii foſſioni operum dantibus, ob vniuerſalem partium ſolidarum debilitatem languidae digeſtiuae vires ſint. Maxime, inter omnia praeſidia contra hos vapores praeſtare, hominibus huic labori vacantibus, ſi et non ab eo aegrotent, vt in Americae auſtralis mercurii fodinis fieri ſolet, otium longum, ruralemque aërem in loco calido concedere, iisque, vt rus colant, permittere. Quo otio laborumque viciſſitudine et morbos a mercurio productos, tremorem articulorum inprimis, curari.

Ad alios minerarum, inprimis pulueris influxus varia praeſidia enumerantur, in iis autem hoc maximum eſſe Noſter aſſerit, ſi grato otio, neceſſariaque laborum viciſſitudine intercurrente, corpus a mineralium foſſione aegrum, refocilletur. Hoc modo valetudinem metallifoſſorum in America potentiſſime praeſeruari.

p. 121. Nunc ad officinas Noſter tranſit, liquandis mineris metallicis dicatas. Maxime conuenire, ſi hae officinae in loco excelſo, aëri ex omni parte aperto, poſitae ſint. De furnis ſpiraculisque inſtruendis, et qualis diaeta in hoc labore occupatis conueniat. Officinarum, in quibus calx viua ignis ope para-

paratur, ad ſuffocandos vapores metallicos minerales que varios, vſus.

Abſoluta hoc modo de metallifoſſorum morbis tractatione, penitus a Cl. editore profecta, quum in RAMAZZINII libro, ſi anicularum quasdam fabulas excipias, hi morbi penitus fere omiſſi ſint, *ſeptima ſectione* Noſter *eorum morbos* pertractat, *qui in laboribus ſuis corpora mineralia frequenter tractare debent*, praemiſſisque generalioribus quibusdam, ad *chymicorum* morbos tranſit, in quo capite plures particulares hiſtoriae, ad celeberrimorum quorundam chymicorum morbos ſpectantes, traduntur. Laboratorium ad hos morbos arcendos bene inſtruendum, carbonumque vaporem vitandum eſſe. De alchymicorum morbis quaedam, inprimis de ſanae mentis ex horum laboribus facili laeſione. p. 126.

De *aurifabrorum* et *deauratorum* morbis altero capite agitur. Seſſionem continuam, carbonum vapores, mallei frequentem vſum, variosque minerales vapores ad eorum morbos multum, maxime autem *deaurationem*, quae mercurii ope fit, conferre. De ſymptomatibus ex mercurio a deauratoribus ſub vaporum forma ingeſto. In medicinis plurimis, quas ad deauratorum morbos Noſter allegat, electricitatem omnibus aliis praefert. Quare mercurius ſub vaporum forma ingeſtus tam vehementer noceat.

De iatraliptarum eorumque morbis, qui mercurialia vnguenta frictione in corpus ingerunt, tertio capite agitur, in quo fere omnia ad ea redeunt, quae cap. 2. dicta ſunt.

Quarto capite *ſulphurariorum* morbi exponuntur, in iis partim, qui ſulphuris mineras effodiunt, ex iisque ſulphur praeparant, partim et in iis, qui crudum ſulphur in fila ducunt, obuii. De ſulphuris p. 162.

crudi varieque praeparati varia virtute plura proponuntur.

Quinto capite de *gypſariorum* et *calcariorum* morbis agitur, et de eo, in quo gypſi venenata qualitas lateat. De calcis viuae pulueris noxis variis, inprimis in pulmones illati, et de calore, cui calcarii in calce praeparanda exponuntur. Quantae quamque lethiferae noxae in conclauibus calce viva recenter obductis commorantibus exſpectandae ſint.

p. 183. Nunc ad *figulorum* morbos tranſitus eſt, qui paene omnes a materiarum mineralium, calciumque metallicarum tractatione pendent. Plumbum inprimis a figulis frequenter adhiberi, ex eoque morbos iis frequentiſſimos eſſe. Extiſpicia figulorum, qui ex labore ſuo ſanitatis labem contraxerant. De figulorum colica ſaturnina, paralyſi, hemiplegia, caet. Multum etiam ad figulorum morbos ſmaltam conferre, qua coeruleum colorem elegantem vaſis ſuis conciliant, nec non varium in laboribus ſuis corporis ſitum, madorem argillae tractandae, caet. Electricitatem et ad figulorum morbos plurimum valere.

p. 194. Hanc tractationem *pictorum* et *tinctorum* morbi excipiunt. Pictoribus plurimos etiam morbos eſſe ex animo penitus ad picturam ſuam intenſo, et ex corporis continuo ſitu, quem in laboribus ſuis obſeruant. De vernicis exhalationibus maxime noxiis, et de variorum colorum exhalationibus. Plumbi calces et in pictoribus plurimos morbos producere, colores tamen ex vegetabili regno deſumtos omni noxa haud carere. — Tinctores ab athmoſphaera vaporibus referta eos circumdante, valde laedi, inprimis quum hi vapores ob varias tingentes materias vario modo acres ſint.

Phar-

Pharmacopolarum morbos plures ab officinae frigore hyberno, ſtatione caet. plurimos vero ab exhalationibus corporum, quae frequenter tractant, pendere. Venena etiam, in quibus verſantur, multum ad hos morbos conferre. p. 209.

Vltima ſectione *eorum morbi* pertractantur, *qui durantibus ſuis laboribus igni frequenter expoſiti ſunt*, primoque capite morbi ab aeſtu ignis nimis intenſo carbonumque vaporibus oriundi exponuntur. De caloris effectibus generatim, poſteaque de effectibus caloris inaequalis, cui v.g. anterior corporis pars exponitur, poſteriore frigente, et de effectibus caloris in caput, os, pulmones, caet. agitur. Carbonum vero vapores duobus modis corpus afficere, altero, quo in neruos, altero vero, quo in aërem agunt, eumque ad reſpirationem ineptum reddunt; nec frequentiſſimos effectus hos eſſe, quibus hi vapores mortem inferunt, quum longe frequentius varios morbos inducant. p. 222.

De vitriariorum morbis altero huius ſectionis capite agitur. Speculariorum morbi ex RAMAZZINIO traduntur, tertioque capite de eorum morbis agitur, qui in aere fundendo et variis cupreis vaſis parandis occupantur. De cupro veneno corpori varie infenſo, et de eius aeriſque vaporibus facile durante fuſione, in vapores eleuandis. Capillum in hoc opere verſantium virore quodam ab his vaporibus obduci. Has vaporum noxas et in his notabiles eſſe, qui talia opificia diſcunt, eosque paene omnes in initio vomitum experiri. Mallei vſus opificiaque eius ope peracta quantas noxas adferant. Sanguinis ſputationem eo inprimis concitari, eamque hanc ob cauſam in librorum compactoribus valde frequentem eſſe, diſponere tamen in his ad haemoptyſin et vapores glutinis animalis, quibus hyemali inprimis tempore frequenter ex- p. 236.

positi sunt. Auditum difficilem his hominibus etiam frequentem esse. Tandem et polituraе laeuigationisque vtensilium paratorum damna expenduntur.

p. 251. Stanni et plumbifusorum morbi quarto capite exponuntur, ex stanno tamen puro morbos parcos valde esse, omnesque paene stannifusorum morbos a plumbo pendere, plumbifusorum morbos autem longe frequentiores esse. In ferrariorum fabrorum morbis oculorum morbos et articulorum frequentissimos, pectoris autem morbos raros esse.

p. 267. Huic alteri volumini plura additamenta ad primam partem referenda adnexa sunt. Coriarios adeo a pellibus animalium morbidorum laedi. Corticum quernorum vsum ad gangraenam externum Cl. Auctor nouis experimentis demonstrat. De morbis eorum, qui gluten ex variis animalium partibus parant. Hos ob putrida effluuia annis 1771 et 1772. epidemicis putridis febribus frequenter occubuisse. Multas noxas et conualescentibus ex madore linteorum recenter lotorum et non probe siccatorum esse. In lanionibus excretionis vrinae vitia frequenter obseruari. Morbi foricariorum ex obseruationibus Cll^orum^ LABARIE, CADET et PARMENTIER vberius enarrantur. Quantas noxas molitoribus pistoribusque tractatio frumenti corrupti inferat. Molitores etiam, prae pistoribus, asthmate frequentissime corripi. Lanae lotionem cum acerrimo lixiuio sanitati variis modis inimicam esse. Gossypii carminationem toti oeconomiae animali in iunioribus, inprimis virginibus, in quibus natura menstruum fluxum molitur, insidias struere.

p. 294. De coactiliorum (eorum, qui pileos parant) morbis singulari capite tractatum est, iique morbi medicorum attentionem eo magis merentur, quum et Academia scientiarum Parisina nuper quaestionem

nem de iis auertendis curandisque propoſuerit. Hos opifices a pilis pſilothro quodam praeparatis, acutis, acribus, oculos, pulmones, ventriculum copioſiſſime petentibus, inprimis laedi, indeque lippitudines diuturnas, faucium inflammationem, phthiſin pulmonalem, caet. produci. In condenſationis opere plures a carbonum vaporibus laedi, et ſubinde necari; condenſationem autem vlteriorem, quae fullonio quodam opere peragitur, ob copioſiſſimos acerrimosque ſubinde vapores opificis corpus circumdantes omnis paene generis morbos copioſe producere, pulmonum autem morbos, ob alios iam labores iis frequentes, inprimis augere.

Pannorum laneorum textores, qui opificium ſuum ſtando peragunt, paucis morbis obnoxios eſſe; neruorum autem morbos ex eo tempore longe copioſiores factos eſſe, ex quo ſedentariorum opificum in Germania copia increuerit. Ipſe autem Cl. Auctor, qui in oppido quodam phyſici munere fungitur, in quo paene omnes (incolarum numerus ad 4000 eſt) in pannis laneis tibialibusque ex goſſypio parandis verſantur, pluresque inprimis mulieres in nendis, duplicandis, praeparandis, caet. filis laneis goſſypinisque occupantur, morbos, qui ex ſedentariis his opificiis oriri ſolent, diligenter obſeruauit. Hypochondriacum malum, morbosque ex haemorrhoidibus, digeſtionis vires deprauatas, cachexiam, humorum corruptionem variam, ſcrofulas, herpetem, purpuram chronicam, chloroſin, leucophlegmatiam, articulorum tumores frigidos, fluorem in iunioribus inprimis mulieribus album, fluxus menſtrui ataxiam, pectorisque morbos varios, inprimis pectoris oppreſſionem haemoptyſinque morbos his hominibus frequentiſſimos eſſe, febres vero puras mereque ſanguineas inflammationes, intermittentes febres, et calculum veſicae renum-

 que

que raros valde, imo rariſſimos his opificibus morbos eſſe.

De morbis eorum, qui tibialia texunt, vlterius agitur. Multos inprimis, qui ad hoc maxime ſedentarium opificium accedunt, peſſime affligi a continua ſeſſione. Morbi demum ſingularis plane quoad ſua ſymptomata in tali opifice lethalis hiſtoria adnectitur. Erat ex Noſtri ſententia aneuryſma cordis aut aortae arteriae; nos vero morbi eſſentiam in pulmonalium venarum varicibus conſtitiſſe arbitramur.

Sartores quare tam frequenter aegrotent. Pectus in omnibus, qui in corio rebusque duris nendis occupantur, vehementer laedi.

p. 320. De curſorum, equiſonum, baiulorum morbis plura ſubnectuntur. De ſtrumis eorum, qui onera in capite geſtant. Haud malo conſilio operi denique index additus eſt.

XXII.

Journal de médecine, chirurgie, & pharmacie, &c. A. 1780. Tom. LIII. à Paris. 8. p. 576. & Tom. LIV. p. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinens.

Menſis ianuarius.

p. 24. 2) DUSAUX *de vſu ſanguiſugarum applicatarum in parte affecta in quibusdam caſibus.* Laudantur eae in doloribus vehementibus, in articulatione brachii cum humero obortis, poſt rheumatiſmum et vapores, in podagra, in carie oſſium, in vulneribus pulmonum.

3) LV-

3) LVDOVICI BILSII *methodus balſamandi corpora.* p. 31.

4) *Diſquiſitio diſcurſus praeliminaris verſioni* CHAYRON *operis Thedenii cuiusdam praemiſſa ab* HOIN. Praecipue aduerſus vſum forcipis in arte obſtetricia eiusque correctores LEVRET et SMELLIE inſurrexit Noſter, demonſtrando pericula prouenientia, ſi adhibentur, antequam ſufficiens exercitium et omnibus numeris abſolutus habitus ſit acquiſitus. Etiam in exercitatiſſimis manibus inutilem eſſe forcipem in capitis inclauatione, aut ſi caput ad latus, aut oblique deſcenderit in minorem peluim, aut ſi fonticulus vel bregma anterius intrauerit minorem peluim et medicus hanc peruerſam ſituationem nequeat corrigere. p. 39. p. 40. p. 48.

5) BERTHOLETI *ſpecimen de cauſticis ſalibus et praecipitatis metallicis.* Commemorat Auctor experimenta inſtituta cum mercurio varie praeparato, ſale ammoniaco, aliisque, atque ſimul prouocat ad Cl. chymicorum auctoritatem. p. 50.

Menſis februarius.

1) *effectus ptiſanae Caraibenſis etc. Obſeruationes omnes curandi methodos morborum venereorum concernentes Auctore* MITTIE, *nouae obſeruationes* FABRE *de morbis venereis et effectus ptiſanae Caraibenſis in morbis venereis propoſiti a* SAINT LEGER, DE HORNE, BACHER *et* ROUSSEL DE VAUZESME. Hac ptiſana deſcripta eiusque virtute declarata cum adiectis obſeruationibus et incommodis ſudorificorum et purgantium tanquam vnicorum et principum remediorum in morbis venereis expoſitis, MITTIE obſeruationes laudantur, et FABRI obſeruationes commendantur. p. 97. p. 108. p. 112.

2) *Continuatio obſeruationum* GOULINI *de noua editione aphoriſmorum* HIPPOCRATIS. p. 124.

p. 144. 3) BROCOT *de amputatione brachii absque ligatura:* Reiterata venaesectione, et applicatis emollientibus et detersiuis brachium vulneratum feliciter amputatum est.

p. 153. 4) *Morbus dysentericus obseruatus a* Cl. MARET. Refertur ille ad putridos, qui funestum exitum habent, nisi bene ac legitime curetur, illeque viros, feminas, infantes et adultos absque omni discrimine inuasit. Suum autem stadium quatuor absol-
p. 154. vit periodis, quarum 1) leuiter aegros male se habere declarat, cum prostrato appetitu, nauseis, doloribus stomachi, ore pessimo et interdum vomi-
p. 156. tionibus. 2) sanguis tunc primum prodit, lingua interdum colore suo gaudet, interdum mucositate alba obducta, sitis adest, vel deest, nausea pergit, pulsus est vel naturalis, vel parum febrilis, cutis magis sicca quam humida, venter tumidus, deiectiones frequentes, dolores, tenesmi, materia euacuatur flaua vel cum sanguine, vel tincta, in quibusdam sanguis purus exit, insomnia acce-
p. 158. dunt. 3) deiectiones cum prioribus symptomatibus
p. 161. fiunt foetidae et saniosae, 4) deiectiones iterum sensim sensimque ad naturalem statum accedunt, non sunt tamen ita frequentes, nonnulli moriun-
p. 170. tur, quidam conualescunt. Remedia etiam addita sunt cum formulis.

p. 176. 5) BAILLET *de conformatione monstrosa.*

Mensis martius.

p. 192. 1) CLAVD. REVILLON *disquisitiones causae affectuum hypochondriacorum, vulgo vapores appellatorum, cum appendice de corporis conditione in transspiratione perfecta et aëre temperato.* Omnis quaestio eo redit, praecipuam causam affectuum neruosorum esse transspirationem suppressam, quae restituenda sit, ope regiminis ac medendi methodi.

Ex

Ex qua elicit Noſter, transſpirationem minus recte procedentem vaporoſis affectibus fauere, et demonſtrat animum potiſſimum ſic affici, vt paſſiones, et immoderati labores voluptasque hos producant laedendo digeſtionem et transſpirationem impediendo aut ſupprimendo. Tandem affectus vaporoſi fiunt eo grauiores, quia imminutio transſpirationis digeſtionem alterat, et imperfectior reddita haec functio transſpirationem imperfectam eſſe efficiat. p. 198. p. 200. p. 203.

2) *Continuatio et finis diſquiſitionis diſcurſus praeliminaris* HOIMII. Reſpondere pergit Auct. ad quaeſtiones, num forceps corrigat vitioſas ſituationes? num diminuat diametrum corporis, vt extrahi poſſit? Docet forcipem extendere dimenſionem locorum, per quae fit tranſitus, et tandem perſtringit vberius ea, quae a LEVRETO de vſu forcipis ſunt tradita, et argumentis firmis defendere tentat. p. 207. p. 210.

3) BAVMII *obſeruatio de comate ſomnolento.* Belle huius morbi hiſtoriam ſuppeditauit atque animaduerſiones egregias adiecit, quae non niſi poſſunt eſſe gratiſſimae. p. 226.

4) BOUCHER *de rheumatiſmo epidemico in regionibus Flandriae autumni tempore* 1782. Praeceſſerat hunc affectum diarrhoea, quam variae rheumatiſmorum ſunt ſecutae ſpecies, videlicet rheuma, bronchus, epiphora et coryza; naturam, ſymptomata atque ſedes huius morbi accurate indagauit Noſter, et pro diuerſitate ſymptomatum diuerſas quoque vias medendi ingreſſus eſt. p. 243.

5) BONCERF *obſeruatio de obduratione inteſtini recti.* p. 254.

6) BERTHELOTI *obſeruatio de metaſtaſi quadam peculiari.* Febrim continuam admodum vehementem inſecuta metaſtaſis morboſae materiae in brachio, vbi vlcus ortum et ſanatum eſt.

p. 264. 7) SCHÜLER *de egregio vini effectu in marasmo post longam suppurationem et gangraenosa vulnera.* Vini Burgundici aegro propinabatur per omnes horas vnum cochlear, successiue illa dosis aucta, vt pus et vulnera intra breue tempus naturalem reciperent colorem, pulsus fiebat fortior, gangraenosa eschara decidebat, appetitus et actiones animales et vitales ita augebantur, vt intra tres septimanas conualesceret, sed tussis frequens et violenta accessit, quae quoque repressa est.

Mensis aprilis.

p. 289. 1) DE LA ROCHE *analysis functionum systematis neruosi, quae introductionis loco examini practico morborum neruosorum esse potest.* Lectionibus CVLLENII Angli superstructum est hoc systema, et Noster praeprimis tractat physiologiam neruorum.
p. 291. Omne autem neruosum systema absque omni discrimine principium comprehendit vitale, omnes functiones neruorum coniunctim et subordinato respectu necessariae cuiusdam et perpetuae relationis, vnde diuidit illud in quatuor partes, cerebrum, neruos, extremitates neruorum sensiles et mobiles:
p. 295. Ordinem motus declarat Noster, sensationes, et hi-
p. 302. storiam organorum motus, fibrarum, et musculo-
p. 310. rum, et de cerebro, de sympathiis, de natura fluidi neruei et causa caloris animalis differit.

p. 312. 2) SVMEIRE *de conuenientibus morborum biliosorum et febrium intermittentium et remittentium characteribus.* Institutis in paludosis regionibus obseruationibus intellexit febres intermittentes et remittentes ibi esse endemicas saepiusque epidemicas ex humoribus biliosis putridisque ortas. Itaque omnes ortus harum febrium circumstantias, phaenomena tempore paroxysmorum, omnesque effectus

effectus spontaneos animaduertit, atque iis mederi studuit.

3) DE LA PLANCHE *de ratione producendi aetherem nitrosum, liquorem mineralem anodynum nitrosum, acidum nitrosum fumantem et spiritum nitri dulcis.* Ex multis repetitisque experientiis, quas ad modum BUCQUETI instituit, haec commentatio consignata est litteris. p. 322.

4) DESGRANGES *de quodam genuum morbo.* p. 331.

5) PLANCHON *de febre miliari puerperarum eiusque cura.* Origine et progressu huius morbi descripto Noster characterem, signa et symptomata, et differentias, quatuorque periodos huius febris accurate exposuit. p. 340. p. 344.

Mensis maius.

2) BRIOUDE *de quibusdam remediis hodie admodum vsitatis in nonnullis vrbibus Francogalliae.* Hic potissimum de magnesia, eius chemico examine, virtutibus et vsu loquitur Auctor. p. 397.

3) SVMEIRE *de ligaturis periculi plenis in haemorrhagia narium extremitatibus applicatis.* Exemplo docet, intercepta sanguinis periodo per extremitates inferiores et superiores imminui affluxum versus cor eiusque circulationem et actionem lentiorem effici, mortemque accelerari. p. 413.

4) *Obseruatio* GRATELOUP *de hernia pleurae.* p. 416.

5) IAYMES *obseruatio de effectibus noxiis nucum prunorum deglutitorum et in duodeno commorantium.* p. 424.

6) *Continuatio et finis dissertationis* PLANCHON *de febre miliari puerperarum.* Persequitur Noster symptomata in vniuersum benigna, circumstantias praecedentes et consequentes, febris miliaris maligni stadia et symptomata. Differentia febris miliaris recens puerperas infestantis et epidemicae, p. 432. p. 438. p. 441.

p. 444. micae, diuerſitas coloris puſtularum, et curandi ratio ſecundum ſuas periodos, colorem, ſymptomata et circumſtantias fuſius declaratur, modusque, quibus inpoſterum haec febris poſſit praecaueri.

Menſis iunius.

p. 480. 1) DUCHANOY *tentamen de arte imitandi aquas minerales.* Cognitis et diſquiſitis aquarum mineralium principiis docet, qua ratione ars iisdem proprietatibus aquas communes impraegnare poſſit.

p. 500. 2) DIEULEVEUT *obſeruatio de dyſenteria in Tregueria Britanniae inferioris et vicinarum regionum.* Coniuncta erat illa cum febri et vomitionibus, mucilaginoſa et antiputrida praeſidia egregios produxere effectus.

p. 506. 3) MAURET *de morbo dyſenterico epidemico*, qui eodem, quo ſuperior, tempore, alias non longe diſſitas inuaſit regiones, qui tamen paulo ab illa differre videtur, nam eundem ad febres bilioſas putridas et inflammatorias refert, aliaque methodo iis mederi curauit.

p. 513. 4) BAUME *obſeruatio de morte ex accedente cholera verſus finem felicis reſolutionis lacteae congeſtionis.* Honeſta quaedam femina ob matris ſuae mortem, et inde contractum moerorem liberis ſuis lactandis minime par erat, ex copia vero lactis facta eſt eius congeſtio inflammatoria cum febri hectica, quibus ſalia diuretica in decoctionibus aperitiuis, laxantia et alia his caſibus propria remedia fuere adhibita; his quidem ceſſit congeſtio, ſed febris novas vires recepit, quibus oppoſita eſt china, quam diarrhoea bilioſa lactea inſecuta eſt, verum et diarrhoea ceſſit et febris ſoluta eſt, nihilo tamen ſecius omnia in deterius ruere, et cholera mortem accelerauit.

5) MASSOT *de vulnere caeso a furca, orbitam in superiori palpebra versus oculum sinistrum intrante cum laesione cutis superioris ac inferioris hanc cauitatem inuestientis.* p. 530.

6) FOST *obseruatio de cauendarum apertura-rum sinuum omnium et aduersorum possibilitate.* Commemoratis duabus historiis planum fit, compressionem sinuum eorum incisioni quam longissime esse praeferendam. p. 535.

7) LECHARTIER DE LVCIVEL *de vaporibus per vesicatoria curatis.* Causam omnem suppressioni mensium et fluoris albi tribuit, quippe qui malignos humores ad neruos propulsarunt, vesicatoriis autem vapores inde orti cessarunt. p. 540.

Mensis iulius. T.LIV.

2) *Responsio in forma epistolae consultationem* DESGRANGES *concernens.* p. 32.

3) *Alia responsio de eodem argumento ab* ESN. DELAVALLÉE. In ambabus de spina ventosa disseritur. p. 39.

4) BAVMES *de adhibenda diuersis temporibus venaesectione in pleuresi.* Celeberrimorum virorum in arte medica testimonia et auctoritates pro venaesectione admittenda in hoc graui diroque laudat morbo, eaque tempestiue instituta crisin fieri ex-pectoratione facili, sufficiente et leuante, perque plurimos dies durante. p. 42. p. 56.

5) MAVREL *de morbo verminoso.* Dolores pleuritici a vermibus orti hunc morbum produxere, cui succurrere studuit Auctor duabus drachmis musci Corsici in decocto datis cum dimidio sacchari cochleari; altero die iterum duas musci eiusdem drachmas, vnam rhabarbari, duas salis Epsomiensis et duas vncias Syrupi florum persicorum exhibuit, quibus assumtis magna vermium copia p. 60.

expulsa

expulſa eſt, haec remedia continuata ſunt interpoſitis purgantibus ex octo granis diagrydii, ſex mercurii dulcis, et duodecim muſci Corſici in puluerem redacti.

p. 65. 6) DVPPIN *de partu laborioſiſſimo, ſectione Caeſarea terminato.* Femina triginta quinque annorum, pedum et coxarum mala conformatione in infantia ex rachitide praedita, nixibus ad partum per ſeptem et viginti horas defatigata, Caeſareae ſectioni ſubiecta fuit.

Menſis auguſtus.

p. 111. 2) GRATELOUP *compendioſa enarratio morbi Ducros Duboſcq.* Eques ille illuſtris vſque ad annum aetatis ſexageſimum proſpera vſus valetudine, ſubito fatigatum ſeſe ſenſit, et fortiſſima febri correptus eſt cum deliriis et alteratione, venaeſectio et vomitoria incaſſum adhibita ſunt, acceſſit febris putrida, rheumatiſmus, tuſſis, ingentes dolores in renum regione, ardor in pectore et hypochondriis, dolores laterum vagi, inſomnia, difficilis reſpiratio, vomitus cruentus, tandemque exſpirauit. Cadauere aperto verſus ſpurias coſtas in conſpectum venit tumor oui magnitudinem aequans, ſteatomaque referens, fel ipſum magnum apparuit, ibi quoque tumor ſteatomatoſus fuit aequans magnitudinem oui columbini, cor ipſum paulo minus, quam corporis ſtatura exigebat, et in ventriculis polypoſae fuerunt concretiones, in aorta eiusque fibris etiam polypi haeſerunt.

p. 128. 3) *Epiſtola* CRAISME, cuius argumentum foecunditas imperiorum eſt.

p. 132. 4) ARCENS *obſeruatio de effectibus peſſimis prunorum flauorum.* Deſcriptis his, hiſtoriam ſubnectit de tribus pueris mane hos fructus comedentibus, qui ſeſe laſſos, fatigatosque ſenſerunt, atque ita obſopiti ſunt,

ſunt, vt vix excitari potuere. Noſter accerſitus illos hoc in ſtatu inuenit, cum ſpiratione ſuppreſſa, et conuulſionibus; tartarus emeticus, oleum oliuarum, ſyrupus emeticus, venaeſectio, clyſteres emollientes, ſtoechas arabica et antiſpaſmodica egregie profuerunt.

5) MARTIN *de effectibus ſemicupiorum domeſticorum in deliriis.* Quidam peripneumonia correptus, venaeſectione fruſtra adhibita, et vomitu cruento excruciatus, ſemicupio a delirio accedente liberatus eſt. p. 137.

6) ABEL *de noua methodo dentes inciſores et caninos extrahendi*; fit illa ope filorum vel ſine, vel cum lamina adhibitorum, aut ligno aureo, quod ab vna parte eſt immobile, ab altera vero cum lamina moueri poteſt, torquendo, itaque dentes hoc inſtrumento extrahuntur. p. 141.

7) *Epiſtola* MARETI, qua PAVLETVM mala fide in citando egiſſe affirmat. p. 144.

8) *Obſeruatio de electricitate medica.* p. 161.

Menſis ſeptember.

1) *Obſeruationes de magnetiſmo animali Auctore* DESLON. Tribus articulis totum opus abſoluitur, primus hiſtorias perſanatorum continet, in altero rationem reddit de ſuo procedendi modo, et in tertio MESMERI doctrina explicatur operandique modus. p. 193.

2) SCHMALL *obſeruationes de podagra.* Chinae vſum in podagra praeprimis laudat. p. 199.

3) *Obſeruationes* BAVME, *quibus declarat regulas prognoſticas in morbis acutis eſſe incertas.* In gratiam iuniorum medicorum hae obſeruationes ſunt litteris conſignatae. p. 237.

4) *Obſeruationes de quibusdam ferri praeparatis, in ſpecie de aethiope martiali Auctore* OPOIX. Recte iudicat Noſter, ferrum, ſi vſum medicum ſperamus, p. 244.

ramus, debere in minimas partes lima diuidi atque rori exponi, quae in puluerem redactae crocum
p. 247. martis aperitiuum ſiſtunt. Diuerſos deinde aethiopis martialis praeparandi modos proponit, triturationem eſſe admodum longam et difficilem, Croharii autem methodum palmam vtique promereri.

p. 253. 5) PLANCHON *tentamen de aquis mineralibus fontis Saulchoir.* Diſſertatio praeliminaris varia huc
p. 260. ſpectantia tractat, deinde A. Cl. verba facit de ſitu fontis Saulchoir et de principiis huius aquae, atque experimenta cum iis inſtituta commemorat.

Menſis october.

p. 289. 1) *Continuatio obſeruationum* DESLON *de magnetiſmo animali.* Supra iam de iis obſeruationibus diſſeruimus.

p. 317. 2) *Obſeruatio de lactea quadam chronica depoſitione,* quam femina quadraginta annorum in quinto puerperio paſſa eſt, quum ipſum lactare cuperet infantem. Inflammatoria conditio venaeſectione et antiphlogiſticis diſſipata eſt medicaminibus, febris imminuta eſt, et lac copioſe rediit. Menſtrua per tres menſes ſuppreſſa ſunt reſtituta, ſed flatulentiis et colicis ſaepius infeſtata eſt, quae tamen clyſteribus et purgantibus ſunt diſſipata. Sexta demum vice parturiit, in quo primum bene ſe habuit, poſtea ventre conſtipata fuit et colica infeſtata, quae tamen clyſteribus, balneis emollientibus, et ptiſanis leuiter aperientibus admodum ſunt leuatae. Rediit tamen malum cum ardore, dolore epigaſtrico, et conſtipatione. Diaeta mucilaginoſa antiphlogiſtica, venaeſectio in brachio, ſemicupia ex aqua calida, fomentationes, iniectiones in anum et vaginam, balnea vaporoſa, applicatio ſanguiſugarum, clyſteres emollientes, vſus lactis aſinini praeſtiterunt egregios effectus.

3) MAR-

3) MARTIN *obseruatio de peculiari luxatione cartilaginum costarum.* p. 328.

4) HUSARD *de catarrhali equorum morbo anni* 1776. Omnia symptomata accurate Noster suppeditauit, atque mucilaginosis, dulcificantibus potionibus, suffumigiis, kermes minerali, infusioni plantarum aromaticarum et incidentium, kermes cum melle, pulueri Liquiritiae, omne fere tribuit. p. 333.

5) PLANCHON *continuatio tentaminis de aquis mineralibus.* Experimenta cum examine et quaestionibus auctoris hic suo ordine commemorantur. p. 338.

Mensis nouember.

1) CHAPPOT *systema naturae de pure scrophuloso.* Praefaminis loco Noster sententias de scrophulis quamplurimorum medicorum ab HIPPOCRATE ad nostra vsque tempora recenset, atque examini subiicit rigorosiori commentationes academiae regiae chirurgorum praemii obtinendi caussa exhibitas. Ipsa autem tractatio de signis, quae principiorum loco esse possunt, agit, et de charactere sanguinis scrophulosi, humorum et spirituum, ex quibus quatuor signorum fiunt classes, illa 1) deducunt dyscrasiam siue malam carnis conditionem ex sensilitate excessiua, et statu oris 2) produnt sese per excretiones humorum, tincturam et colorem cutis, conformationem externam, per conseruationem subiecti et motus musculares. 3) constituunt functiones vitales animales, tussis, vox et actus venereus 4) signum recurrens, quia symptomata hoc signum producentia ab indiuiduali mala pendent dispositione, vel a causis proximis morborum scrophulosorum, et principio mobili malarum dispositionum scrophulosarum. Denique tractat in sectione quinta duobus capitibus dispositiones indiuiduales, et influxum atmosphaerae. p. 385. p. 389. p. 390. p. 394.

p. 402. 2) *Obſeruatio* ARCEI *de tympanitide hyſterica.* Examinato et cognito morbo, infuſio chamomillae, potio antihyſterica ex ſyrupo de nymphaea, aqua florum Aurantiorum, viginti guttis tincturae caſtorei et dimidiae drachmae ſpiritus mineralis anodyni cum ſex vnciis aquae florum tiliae mixtis egregie profuit.

p. 407. 3) CASAUBIEL *de morbo quodam neruoſo.* Virgo quaedam viginti quatuor annorum vſu ſaponaceorum ad diſcutiendum tumorem clauiculae ſiniſtrae, neruorum ſpaſmos ſibi contraxit cum agrypnia et vrinae frequentiori et difficili emiſſione, quae omnia relaxantibus et antiſpaſmodicis lenioribus ſublata ſunt.

p. 408. 4) *Analyſis* CAZALE *aquae mineralis putealis Covy.* Inquirit Noſter in fontes et naturam terrae, quam tranſeunt, determinat temperaturam aquae ope thermometri cum mercurio, et examinat naturam vicini aëris, ex quibus qualitatem aquae declarat.

p. 425. 5) IVYMES *obſeruatio de efficaci applicatione ſanguiſugarum in mania et epilepſia.*

p. 430. 6) FLEUR *obſeruatio de fractura humeri.*

p. 436. 7) EI. *conſultatio* ipſius coniugem concernens de tumore matricis in regione dextra oborto.

p. 441. 8) DVBB *conſultatio* de malo quodam iſchiadico.

9) CROHARE *de aethiope martiali ad* OPOIX. Varias obiectiones et dubitationes Cl. OPOIX proponit, atque vt eae ſoluantur humaniſſime petit.

Menſis december.

p. 494. 2) HOUDRY *obſeruatio de morbo chronico.* Ille morbus ad vaporoſos et ſyſtematis neruoſi eſt referendus, quem aptis remediis Noſter perſanauit.

3) PO-

3) POTHONIER *de pleuresi rheumatica* venae-sectione sublata. p. 504.

4) SCHÜLER *de praeiudicio Heluetiorum, quo omnes morbos inflammatorios pecudum pectoris pro pulmonum morbo venditant.* Ex inspectione cadaverum redarguit hoc praeiudicium asserendo ac demonstrando hunc morbum fuisse peripneumoniam, atque VITETI, CLARETI, HALLERIque auctoritate et verbis ductus suam sententiam vlterius confirmare studet. p. 507.

5) IMBERT *de ruptura matricis, qua factum est, vt infans per ventrem debuerit emitti.* Hoc in casu suadet sectionem caesaream, vt vitam retineant grauidae. p. 534

6) DESGRANGES *explicatio effectuum morbi cuiusdam genu virginis* Berth. Lectu digna non solum est historia morbi, sed etiam medendi ratio.

7) TAILLARDANT *obseruatio de ranula continente calculum.* HEISTER et LOUIS operationem huius tumoris eiusque simul naturam ac indolem descripserunt, ergo nihil de ea profert, reiicit tamen SOULIERI medendi rationem per phlegmagoga: deinde historiam ipsam morbi narrat, qui infestauerat pauperem feminam quadraginta trium annorum, quae vix paruum panis frustulum assumere potuit, et quam operatione instituta feliciter sanauit.

XXIII.

Die Geschichte der Kriebelkrankheit, besonders derjenigen, welche in den Jahren 1770 und 1771. in den Zellischen Gegenden gewüthet hat, beschrieben von IOHANN TAVBE. *Göttingen.* 1782. 2 ½ *Alph. in* 8. *nebst einem Kupfer.*

i. e.

Hiſtoria morbi ſpaſmodico - conuulſiui epidemici vagi, inprimis illius, qui annis 1770 et 1771. Celienſem regionem peruaſit. Auctore IOANNE TAVBE.

Diu exſpectatus hic deſideratusque liber, poſt varia, quae ipſe ſuſtinuit, fata, demum in lucem prodiit, lucupletiſſimam locubratiſſimamque dirisſimi huius morbi hiſtoriam continens, ita vt paucos morbos habeamus, in quibus tantum operae, quam in hoc, inſumtum ſit.

Ipſe Celeb. Auctor hunc morbum (quod et hiſtoriae libro additae probant) tam copioſe obſervauit, vt ipſe aſſeueret, e medicis noſtri temporis nullum eſſe, qui hunc morbum homines tam copioſe vehementerque inuadentem obſeruauerit, vtque ipſum hoc opus ex ſolis obſeruationibus a menſe Septembri 1770. collectis natum ſit. Id vero eo facilius euenire potuit, quum partim ſanitatis hoc morbo affectorum cura a reipublicae proceribus illi, aliisque medicis Cellenſibus-Hannoueranisque, DE LEYSSER, ZIMMERMANN, THAER, MEIER, WICHMANN demandaretur, partim et omnia, quae valetudini publicae vllo modo obſtare valent, ipſius memoratorumque medicorum conſilio a plebe diligenter auerterentur.

p. 1. His praemonitis Noſter ad *morbi ſpaſmodici hiſtoriam* tranſit. Hyems a 1769 – 1770. frigidiſſima, perdurans fuit, eamque aeſtas ſequuta eſt, frequentibus caloris, frigoris pluuiarumque viciſſitudinibus. Nebulae, inprimis in ſecalis flore, frequenter inciderunt, pluuiasque ſaepius incidentes vrens calor ſubito excepit. Meſſis tempore tempeſtas conſtantior fuit, in frumenti vero ariſtis guttae ex luteo albidae, pellucidae copioſe obſeruatae ſunt

ſunt, apesque, has guttas colligentes, omnes interierunt. Quum ex hac frumenti peſte ſecale cornutum frequenter proueniret, plures medici graues ex ſecali hoc, vbi malignum euaſiſſet, morbos praeſagierunt.

Quum iam meſſis tempore ruſtici ſecalis ſui collecti partem in farinam tritam ad panem ſtatim adhibeant, eumque panem calidum adhuc ingurgitent, hanc conſuetudinem et incolae pagi *Lutter* obſeruarunt, in quibus morbus d. 29 menſ. Auguſti primum apparuit, magis magisque poſtea epidemia ſenſim dilatata, ita vt Decembris initio et Cellenſem vrbem inuaderet.

Licet partim a proceribus rei publicae, partim a medicis, omni modo incrementis epidemiae proſpiceretur, intenſior tamen crebriorque quotidie morbus factus eſt, ſtatim vero remiſit, quum ab his, qui publicarum rerum curam gerunt, bonum ſecale maxime aegris praeberetur. Animalium morbi ex hoc nociuo ſecali nulli fuerunt, gallinis et ouibus tantum ſubinde a ſpaſmodico morbo correptis. Nec boum lues hoc anno graſſata eſt.

Nunc tabula quadam aegrorum in Cellenſi terra copia traditur, quae 600. erat, ex quibus 97. mortem oppetierunt, ita vt Septembri menſe 1770. et Februario Aprilique 1771. plurimi aegri eam obirent. p. 17.

Altera ſectione morbi ex ſcriptoribus hiſtoria traditur. Morbum et antiquiſſimis temporibus iam extitiſſe, eiusque iam in S. Codice mentionem iniici Auctor putat. p. 20.

Primum autem morbum CASPAR SCWENCKFELD deſcripſit, ann. 1587. et 1592. in Sileſia epidemice graſſantem. Prima vberior morbi ann. 1596. graſſantis deſcriptio in celebri iſto Marburgenſi conſilio proſtat. Morbi poſtea DRAWITZIVS ann. 1647. mentionem fecit, in Germania et ann.

 1648.

1648. 1702. 1709. 1717. 1723. 1736. 1742. in Suecia ann. 1745. 1746. 1754. etc. grassantis.

p. 97. Morbi quoad symptomata eius historia sequitur, mox acuto, mox vero diuturno modo homines occupantis. In epidemiae initiis omnes acute laborabant, in progressu vero morbus longius perdurabat.

In his, qui acute laborant, *formicationis sensus* princeps symptoma est, quem caecitas, caduca vertigo, articulorum tremor, inanes vomendi conatus, totius corporis, inprimis musculorum flexorum, spasmi et conuulsiones excipiunt. Totum corpus, aegro maxime perturbato, frigidissimo sudore obsitum, os collapsum, pallidum, horridum est. Spuma subinde, saepe sanguinea, ex ore manat, et sitis aegros excrucians vbi potu leuatur, anxietas augetur. Omnes aegri, vt contracti ipsis articuli extendantur anxie petunt, de ineffabili dolore anxietateque querentes Conamina ad vrinam aluumque demittendam irrita, frequentia adsunt. Pulsus paruus, lentus, interruptus est, et praesentibus dirissimis symptomatibus exploratoris digitum fugit.

Postea verae conuulsiones apparent, cum sensuum et vocis defectu coniunctae, mortem in propinquo esse demonstrantes. Hoc acuto morbo *omnes* necati sunt. — Cadauera hoc morbo trucidatorum celerrime putrescunt, neque putridus foetor cadauerum incisionem facile permisit. Puer, quem ante meridiem morbus iugulauerat, post meridiem incisus est. Articulos tantus spasmus occupauit, vt nullo modo paene flecti possent. Abdominis integumenta partim ex flauo viridia, partim flaua fuerunt. Ex ore pituita pessime olens manauit, vibicibus in dorso pectoreque conspicuis. Abdomine inciso omentum molle, putridum, ventriculus intestinaque flaua, hepar autem durum et san-

ſanguine turgidum fuit. Caeterae omnes abdominis partes colorem peſſime flaueſcentem habuerunt. In ventriculo putride inflammato aqua biliofa, ſpumeſcens, in eaque lumbrici putridi continebantur. Fellis veſicula vehementer dilatata bilem virideſcentem aqueamque continebat, lien ſanguine turgidus, vrinae veſica maxime dilatata, pulmones, cerebri arteriae menyngesque ſanguine refertiſſimae erant. In choroideo plexu putredo adfuit.

Diuturna magis *morbi ſpecies* lente homines cum articulorum ſtupore, appetitus defectu, cordis oppreſſione, ad ſomnum propenſione, frigoris in abdomine et dorſo ſenſatione et articulorum formicatione corripit. Poſtea ſpaſmi vagi oriuntur, ſenſim cum caeteris ſymptomatibus ingraueſcentes, ita tamen, vt ex vomitu materiae bilioſo-putridae inſigne aegris leuamen ſit. Spaſmi ſenſim intenſiores fiunt, ſitimque, acidis, quae maxime cupiunt, leuatam, inanes vomendi conatus excipiunt. Oris color varie mutatur. Aegri articulorum extenſionem anxie petunt, dolores potentiſſime lenientem. Sudor copioſus, pulſus autem tranquillus, paruus eſt. Vires deficiunt aegris, ecſtaſi quadam ingruente, quae omnia ſymptomata, vbi remittunt, inſignis ciborum cupiditas aegros inuadit, ſpaſmis, omnibusque dictis ſymptomatibus poſtea denuo ingruentibus. p. 105.

Lac in mammis morbus non mutat, nec pueri ab eo male ſe habent. Puerperarum lochia, menſtruumque fluxum morbus non mutauit. Nec grauidae vehementius aegrotarunt. — Noui ſpaſmorum inſultus a maxime moroſorum aegrorum ira inprimis concitantur. p. 111.

Quae omnia ſymptomata vbi per aliquot tempus aegros exercuerunt, eorum induciae quaedam oriuntur, aegris tamen et in his ſtupidis manentibus

bus et formicationem ſentientibus. Pupilla hoc tempore maxime dilatata, velut in amauroſi affectis eſt. Duplex iis in quibusdam obiectis, in aliis vero rectus et ſolitarius viſus eſt. Articulorum tremor, vertigo, cardialgia aegros infeſtat.

p. 117. Spaſmis frequenter recurrentibus digitorum in articulis ſenſus tantopere demum minuitur, vt et candentes carbones ignemque ſine omni ſenſu ferant. In ſpaſmis tetanus, quem conuulſiones excipiunt, frequentiſſimus eſt, *veram* vero *catalepſin* Noſter in aegris non vidit. Emproſthotonus opiſthotonusque rari erant (quod valde mirum eſt, quum in omni tetano paene opiſthotonus adſit). Epilepſiam riſumque ſardonium in aegris non vidit.

p. 123. In maniam morbus ſubinde terminatur, quod peſſimum eſt; frequentiſſime autem in amentiam, ſaepius in alui profluuium, ſubinde funeſtum, pedum oedema, anaſarca, fluxus menſtrui anomalias, hyſtericum malum, furorem vterinum.

Subinde et cutanea exanthemata furunculique ex morbo oriuntur. *Elephantiaſis* ſpeciem etiam poſt morbum Noſter obſeruauit. Cruſta alba, ſplendens, foetidiſſima articulos obſidebat.

p. 133. Vermes, quorum mentionem nullus paene, qui de hoc morbo ſcripſit, iniecit, in omnibus aegris aderant, lumbrici inprimis aſcaridesque; hisque expulſis aegri conualuerunt. In anthelminthicis emetica, purgantia, mercurii dulcis, radicis valerianae et ſeminis ſantonici vſus maxime ad vermes valebant.

Oculorum morbi, inprimis cataracta, a ſpaſmis ſaepiſſime producuntur, ſubinde et lingua conuulſiuo dentium morſu tantopere laeditur, vt loquela aegris poſtea deficiat; in omnibus vero ſymptomatibus formicationis ſenſus conſtantiſſimum eſt.

His

His ſymptomatibus morbi prima periodus lente quidem, verum feliciter terminatur, nec vnquam Noſter, his praeſentibus, morbi in alteram periodum tranſitum obſeruauit. In altera autem periodo morbi ſymptomata ſequentia ſunt:

Spaſmi in capite maxime ſaeuiunt. Senſus aegrorum omnes ſtupidi ſunt. Virium languor, appetitus defectus, inanes vomendi conatus, ſitis intenſa ab eaque exſtincta anxietas intenſiſſima ſunt. Noctes ſine ſomno tranſiguntur; pulſus, cute vrente, febrilis eſt. Os collapſum eſt, aluus aegro inſcio deponitur; vrina pauca, ſaponacea demittitur, penitus ſubinde ſuppreſſa. De dolore in cerebro ineffabili queruntur. p. 146.

Lingua in morbi progreſſu ſaepiſſime laeditur, vires vero ſenſim collabuntur, tetanoque, eiusue ſpeciebus ingruentibus, aegri demum die a tetano tertio iugulantur. — Defunctorum cadauera rigida manent, nec putredinis vis in iis valde magna eſt. Incidere talia cadauera Noſtro non licuit.

In diriſſimis vero huius periodi ſymptomatibus *lenta gangraena* diriſſimum eſt; talem tamen, tamque vehementem hanc gangraenam, qualis a Medicis Pariſinis deſcribitur, Noſter non vidit. Terebinthinae inprimis oleum putredinem potentiſſime cohibuit. Vidit Noſter perfectam poſt hunc morbum cutis depoſitionem, perfecte talem, qualem in cancris fluuiatilibus obſeruare licet. Partem depoſitae tali modo cutis icon huic ex omni parte praeclaro libro additus exhibet.

Morbus difficulter ſemper ſanabilis eſt; et aſſiduum continuumque medicamentorum vſum requirit. Symptomata morbum excipientia inprimis maxime diuturna ſunt.

De *cauſis morbi* nunc agitur. Morbum neque p. 157.
a malo victu, inprimis annonae caritate durante,

neque a lolio temulento, nec a raphano raphaniſtro oriri, epidemiaeque tempore neque lolium, neque raphanum raphaniſtrum in ſecali obſeruatum, copioſiſſime autem ſecali *cornutum ſecale* admixtum fuiſſe.

Cornutum ſecale iis in locis, in quibus epidemia graſſabatur, ab eo, quod in aliis locis, ab epidemia immunibus, collectum erat, valde diuerſum fuit. Colorem habuit, quod in epidemicis locis creuerat, ex coeruleo et gryſeo mixtum, tenaciſſimum, difficulter friabile fuit, odorem nauſeoſum corroſivumque ſaporem habuit. In aliis vero locis ab epidemia vacuis collectum album, farinaceum et ſine ſapore fuit, quae differentia quoad origines huius morbi diligenter notanda eſt.

p. 165. Multum tamen ad morbum ipſum ſecale corruptum contulit, corruptio enim tertiam omnis in locis a contagio affectis ſecalis partem tentauerat, tali modo, vt ex coeruleo gryſeam farinam grana continerent, mucidum adorem haberent et ſaporem linguae corroſiuum inducerent. Germen granorum eroſum erat, ſuetaque ſpecifica grauitas iis deerat. Aquae fontanae frigidae ſecale corruptum aeque ac cornutum innatabat. Coctione in polentam ſecale cornutum nullo modo redigi poterat, remanensque poſt coctionem aqua nauſeam mouebat. Eadem et de ſecali corrupto valuerunt. Omnia cum hoc ſecali inſtituta experimenta docuerunt, *partem animalem* in illo penitus deſtructam eſſe, neque tale ſecale in terram proiectam progerminauit.

Morbus *eos* tantum occupauit, qui panem polentamue ex *tali* ſecali paratam deuorauerant, et quamuis morbus non omnes aequali ſaeuitie inuadebat, omnes tamen, ſi morbus familiam quandam occuparet, (quidam vero et leuiter) aegrotarunt.

Mor-

Morbum itaque a ſecali tali modo corrupto ortum eſſe certiſſimum eſt, et licet huius veneni vis et agendi modus nullo modo explicari poſſit, intereſt tamen, vt, vnde haec corruptio orte ſit inquiratur. Corruptio intenſior in ſecali, quod verno tempore ſeritur, quam in hiberno fuit, (idque ſecale plurimi ruſtici, ſimul ac collectum eſt, ad polentam, placentas, caet. adhibent) magis quoque intenſa in agris humidis fuit. Quum in flore eſſet hoc ſecale, nebulae graueolentes aliquoties obſeruatae ſunt, certas tantum regiones occupantes, (humidis agris, tempeſtate humida continuo exſiſtente, talibusque agris, quibus ex luto ſolum eſt, huius corruptionis partem maximam adſcriberem. Vidi et ego morbum, ſpaſmodico-conuulſiuum vagum ſporadice graſſantem, eos tantum occupaſſe, qui panem ex ſecali recenter ex agris in tota vrbis regione maxime humidis collecto frequenter deuorauerant; vidi et plures alios morbos noſtro analogos, ſpaſmodicos, in vicis, quibus agri prae aliis humidi erant, quum aliorum vicorum incolae, qui ſecale ſuum ex agris magis ſiccis collegerant, immunes manerent).

Nunc ad *medicinas contra hunc morbum* Noſter p. 180. tranſit. Primis ſtatim aegris, quos morbus inuaſerat, emetica exhibuit, quorum effectus quum omni plane modo curantis ſpei reſponderent, ea in totius epidemiae progreſſu omnibus aegris data ſunt. Tam ſtupidus autem ventriculus in omnibus aegris fuit, vt ſueta medicinae doſis nullo modo ſufficeret, vtque ad vomitum concitandum ſubinde XL. tartari emetici cum aqua fontana ſoluti grana neceſſaria eſſent. Maxime ſolita tartari emetici in aquae libris duabus ſoluti doſis gr. XX. erat. In quibusdam emeſis nullo plane modo concitari poterat, ex alui profluuio ab eadem medici-

na

na in his caſibus producto parum leuaminis erat.

Vt autem viſcida materies eo melius certiusque expelleretur, vtque morbi inſultus omni vi reprimerentur, emeticae medicinae vſus omni octiduo repetendus erat, hoc ſucceſſu, vt ab ingluuie collecta materies malaque bilis expelleretur. Ipecacuanha hernioſis et grauidis data alui tarditatem produxit. Tandem omnibus, ſine vllo diſcrimine, et ſine omni noxa tartarus emeticus datus eſt.

Purgantium vſu ſordes in inteſtinali tubo contentae expellebantur, in quibus *medii ſales*, inprimis ſal catharticum Anglicum, magna doſi, ad vncias ſubinde tres aut quatuor, exhibitum, prae omnibus valuerunt. Fortiora purgantia nocuerunt, de leuioribus autem, inprimis rheo, damna obſeruata ſunt.

Tandem, oculorum inprimis in hoc morbo affectionibus commotus, mercurium dulcem magnis doſibus, hoc ſucceſſu Noſter adhibuit, vt ſpaſmorum inſigne lenimen in omnibus obſeruaretur, idque lenimen a vermibus hoc medicamine expulſis inprimis ortum eſt, hoc modo, vt in omnibus tandem, quibus haec medicina, et iteratis vicibus propinabatur, vermibus expulſis, inſignis morbi in melius mutatio obſeruaretur. Saliuatio, licet mercurius magna doſi ſaepius propinaretur, nunquam obſeruata eſt.

Spaſmi interea quum his euacuationibus non penitus ſopirentur, diaphoreticae medicinae datae ſunt. Maxime eum in finem conueniens medicina camphora fuit cum aceto ſoluta, roob iuniperi admixto. Eadem medicina et vermes expulit. Serpentariam etiam cum ſucceſſu adhibuit. Valde etiam medicina ſucceſſit ex calami aromatici, ari, enulae, et valerianae ſylueſtris radicibus parata, verum

rum palato aegrorum valde ingrata. In cortice Peruuiano parum praesidii fuit; necrosin tamen potenter cohibuit. Cornu cerui spiritus manifeste nocuit, in diuturno vero morbo oleum animale DIPPELII ad exanthemata critica producenda eximie valuit. Moschus conuulsiones quidem sedauit, verum vnciae pretiosi huius medicamenti ad optatum effectum obtinendum adhibendae erant. Alchymillae herba parum iuuit; conuulsiones vero spiritus salis ammoniaci cum calce viua paratus, interne datus eximie sedauit. Neque opium magno cum fructu adhibitum est. Maxima praesidii pars in santonici semine, radicis valerianae syluestris extracto cum nitri spiritu soluto, aliisque anthelminthicis medicinis sita fuit. In desperato casu stannum Anglicum cum Ialappae radice remixtum praestantissima medicina fuit.

In externis medicinis vesicatoria vtilissima fuerunt, venaesectio autem semper nociua fuit. Ex scarificatione vtilitas quaedam subinde fuit, vtilissimae autem hirudines fuere. Egregii etiam frictionis, et laesionum externarum accidentium effectus fuerunt. Multum etiam leuaminis vnguenta emollientia resoluentiaque rigidis articulis illita attulerunt. Balnea calida vtilissima fuerunt. Victus ratio diligenter obseruanda, et inprimis cauendum est, ne fame praeternaturali affecti aegri panem ex secali cornuto aut corrupto paratum deuorent. p. 209.

Experientiis quibusdam finis huic operis parti imponitur. In his adseritur, morbum conuulsiuum cum Sancti Antonii igne vnum eundemque morbum esse; (quod tamen ex Gallorum medicorum obseruationibus vix crediderim, quum hic morbus singularem speciem saltim certe constituat) morbum, quo diutius in corpore delituerit, eo difficilius etiam expelli posse; sanationem morbi difficillimam, p. 236.

limam, immo nullo modo poſſibilem eſſe, ſi morbida materia neruos vaſaque ſanguinea corrodit; febrem intermittentem in omnibus morbi ſymptomatibus nunquam obſeruatam eſſe; mortem veros pectoris ſpaſmos ſemper ſequi; electricos ſuccuſſus omnibus paene hoc morbo affectis conuenire; formicationis in internis corporis partibus ſenſum ſemper proſperam valetudinem futuram indicare, nullumque aegrum hoc morbo affectum pro immuni ab eo haberi poſſe ſtupidis adhuc digitorum extremitatibus, articulis trementibus, oculis imbecillibus exſiſtentibus, et formicationis in cute ſenſu, fameque praeternaturali praeſentibus.

p. 340. Nunc morborum in noſocomio ſocietatis oeconomicae et in noſocomio regio obſeruatorum hiſtoriae exponuntur; appendicis autem loco hiſtoriae morbi conuulſiui vagi ab HÜSERO V. D. Miniſtro, a WEBERO, EVERS, HEVSLERO, MEYERO, conſcriptae adiectae ſunt. Electricitatis vſum ex exemplis in hoc morbo STEFFENS docet. Tandem et morborum a lolii temulenti vſu ortorum ab Auctore obſeruatorum hiſtoria addita eſt, in qua adſeritur, ex modico lolii vſu vomitus, variosque neruorum morbos oriri, hos vero morbos copioſe aſſumto lolio et in veram maniam degenerare. (Nos, quum anno 1779. mulieri poſt lolii temulenti copioſum cum farina vſum vena incideretur, modica ſanguinis quantitate educta, aſphyxiam perfectam, per dimidiam horae partem perdurantem, obſeruauimus. Eam copioſiſſimus aſſumtorum vomitus excepit.)

XXIV.

XXIV.

De liquoribus ſalinis officinarum, eorumque medicis virtutibus. Specimen, quod pro ſummis in medicina honoribus defendit CHRISTIANVS GOTTHOLD ESCHENBACH, Art. Lib. Mag. Medic. Baccal. et Societ. oecon. Lipſienſ. Sodal. Lipſiae, CIↃIↃCCLXXXIII. pagg. 28. in forma quarta.

Qui HOFFMANNI nuper et LVDWIGII auctoritate inter officinalia, quae dici ſolent, medicamenta relati ſunt ſalini liquores, ii profecto, quod virtutibus medicis admodum inſignes fuerint reperti, peculiari illuſtratione et repetita commendatione iam pridem digni eſſe videbantur. Neque tamen quisquam hactenus, quantum nos quidem ſcimus, huic argumento explicando incubuit, nec vllus vel diſcrimen, quod inter hoffmannianum et ludwigianum liquorem intercedit, vel peculiares cuiusuis virtutes deſcripſit. Quare hanc ipſam ſibi materiem in hoc inaugurali ſpecimine illuſtrandam ESCHENBACHIVS ſumſit, eamque ita pertractauit, vt, quae ſit vtriusque liquoris indoles atque natura, et quibus vterque viribus medicatis gaudeat, cognitum fieret atque perſpectum. Et primum qui- p. 8.
dem agit Auctor de illo ſalino medicamento, quod ab HOFFMANNO cognomen habet, illudque ex quatuor diuerſis ſalibus, deſtillatis quibusdam aquis, et caſcarillae cortice digeſtione in noſtris officinis parari monet. Etenim aquam ſuper cardui benedicti herba abſtractam cum anatica portione aquae florum chamomillae vulgaris pharmacopoei commiſcent, lenique deinceps calore in miſcelae huius libris tribus ſalis alcali fixi vegetabilis, nitri depurati, tartari vitriolati ſingulorum vncias duas et ſalis

lis ammoniaci vnciam vnam ſoluunt, liquorem hoc modo paratum ſuperfundunt corticis caſcarillae vnciae vni, ac, digeſtione peracta, a remanente terreſtri materie eum tandem ſeparant, et in vitro bene clauſo aſſeruant. Varia itaque neutrius generis ſalia in hoc liquore ineſſe, neque tamen eum alcalinis partibus prorſus deprehendi deſtitutum patet; nam vtriusque lixiui ſalis aliqua portio in liquore ſoluta haeret, quae acidis prorſus ſaturata haud eſt. Hinc, addit ESCHENBACHIVS, ſiſtit hoc medicamentum veluti medium ſal, quod ex fixo et volatili alcali, nitroſoque, vitriolico et muriatico acido compoſitum, neque tamen ſufficienti ratione ſaturatum, eſt, ac praeterea gummoſam et reſinoſam caſcarillae corticis ſubſtantiam immixtam habet. Tametſi vero Noſter non dubitat, liquorem hunc cum ipſo eius auctore, aliisque celebribus medicis inter vtiliſſima medicamenta referre, arbitratur tamen, praeparandi eius rationem, qua vti pharmacopoeos diximus, non omnino abſolutam, perfectamque eſſe; namque cum volatilis alcali nullis acidis, aut aliis corporibus, quibus inuolui ſatis poſſit, nupti ea indoles ſit, vt lubenter in au-
p. 13. ram abeat, niſi atmoſphaerico aëri ad ipſum acceſſus fuerit denegatus, non poteſt, inquit Auctor, ſecus euenire, quin magna vrinoſi huius ſalis vis ex hoffmanniano liquore, in quo quippe ſaturatum acidis illud non ſit, ſenſim diſcedat, isque adeo mi-
p. 14. nus efficax euadat; atque ita iacturam inſignem medicamentum pati manifeſtum eſt, quae tamen, auctore Noſtro, euitari poterit, ſi ammoniacale ſal, illudque in ſimplici deſtillata aqua ſolutum, tum demum reliquorum ſalium, et reſinoſo-gummoſarum caſcarillae partium ſolutioni admiſcetur, quando a medicis fuerit hoffmannianus liquor praeſcriptus; etenim hanc optimam rationem eſſe cenſet, qua effici

efficii possit, vt euolutum volatile alcali omne cum reliquis liquoris partibus coniunctum maneat, ipseque proinde liquor virtutibus ab eo repetendis non destitutus sit. Ceterum videtur ESCHENBA- p. 15.
CHIO nitri et vitriolati tartari, quae in liquore inest, copia nimis exigua esse, quam vt, nisi magna liquoris ipsius portio pro vna dosi praescribatur, satis conspicuis effectibus in humano corpore producendis ille par sit. Hinc melius hac medicina aegrotis prospici iudicat, si ea salinis partibus magis esset referta, ita vt in tribus aquae libris nitri ad minimum quatuor et vitriolati tartari tres vnciae continerentur. Neque vero mediorum tantum salium ad aquam rationem esse augendam, sed cascarillae etiam corticis, cuius in liquore illo specifica virtus admodum fracta est atque debilitata, ad quamuis aquae libram vnciam vnam sumendam arbitratur, quo medicamentum efficacibus partibus magis refertum, illudque adeo valitudini restituendae aptius possit obtineri. Sunt autem medicae p. 17.
vires, quibus hic liquor potissimum insignis est, cum diluentes ac resoluentes, tum neruinae, roborantes atque irritantes, easque partim a dissolutis salibus, partim a resinoso-gummosa cascarillae corticis substantia habet. Quare profecto dubitandum non est, eum multis aliis, cum simplicibus, tum compositis medicamentis praestare, morbisque variis sanandis, aut eorundem symptomatibus mitigandis, egregie conuenire.

Quanquam autem ex hac, quam de hoffmanniano liquore dedimus, relatione conspicuum est, ipsum inter saluberrimas medicinas esse referendum, alter tamen salinus liquor, de quo Noster in hoc libello egit, illo vtique efficacior existimari debet; etenim est ille, qui nomen a LVDWIGIO fert, salinis partibus, quae cum humani corporis humo-

 ribus

ribus coniunctionem lubenter ineunt, magis, quam
Hoffmannianus, refertus, habetque praeterea medii
ammoniacalis ſalis, illiusque vel ad ſubtiliſſima vaſa
mox progredientis, quicquam admixtum, nec ver-
git ad alcalinam naturam, cet. hinc multis aegrotis,
quibus hoffmannianus omnino non conuenit, alter
p. 24. ſane aptiſſimus eſt. *Sequuntur* autem pharmaco-
poei in hoc ludwigiano liquore praeparando ra-
tionem hanc, vt primum tartari tartariſati libram,
et ſalis ammoniaci vnciam in tribus aquae ſimplicis
libris ſoluant, hunc deinde liquorem vnciae vni
fructuum aurantiorum immaturorum, eorumque
quodammodo contuſorum, ſuperfundant, et in ca-
lidum locum reponant, vt, quicquid ſolubilis mate-
riei his fructibus inſit, liquor in ſe recipere queat.
Digeſtione rite peracta, a remanentibus faecibus
tandem leni decantatione liquor ſeparatur, et ad
medicos vſus in officinis ſeruatur. Partes ergo
eiusdem ſunt neutrius omnino indolis, atque ex
duobus acidis, tartari nimirum eſſentiali et muria-
tico, totidemque alcalinis ſalibus, fixo vegetabili et
vrinoſo, ita mixtae, vt nec acidi cuiusdam, nec lixi-
vi ſalis vlla portio veluti emineat. Praeterea reſi-
noſa, gummoſaque fructuum aurantiorum materies
liquori huic ſimul ineſt, eaque cum ſalinis partibus
arcte mixta deprehenditur, ita vt fere ſaponaceae
indolis medicamentum inde prodeat, quod pituitae
et ſtagnanti tenaci materiae reſoluendae, obſtru-
ctionibus canalium maiorum aut minorum reſe-
randis, ſolidis roborandis, peruerſis neruorum con-
ſtrictionibus corrigendis, cet. aptum eſt atque ido-
neum. Morbos, quibus ſanandis potiſſimum hic li-
quor conuenire videtur, Noſter fortaſſis alio tempo-
re deſcripturus eſt, ſimulque vtriusque huius ab ipſo
commendatae medicinae cum aliis medicamentis
coniungendae praecepta quaedam et exempla dabit.

XXVI.

XXVI.

De hydrophobia eiusque ſpecifico, meloe maiali et proſcarabaeo, praeſide IO. CHRISTL. KEMME, pro gradu doctoris publice diſputavit auctor CAROLVS TRAVGOTT SCHWARTS. Halae. Proſtat Lipſiae in bibliopolio I. G. Mülleriano, 1783. in 8. cum tabula aenea.

In plurimis contra aquae metum laudatis ſpecificis medicinis meloe maialis quum emineat, ipſaque haec medicina a probatiſſimis medicis ad auertendum hunc morbum valde commendetur, laudabili omni modo propoſito Noſter, hydrophobiae breui deſcriptione praemiſſa, non ſolum omnia paene, quae de hac medicina a probatiſſimis medicis dicta ſunt, collegit et in concinnum ordinem diſpoſuit, verum etiam proprias obſeruationes vtiliſſimas addidit, ſpecificam huius medicinae vim ad hunc morbum praecauendum praeclare confirmantes.

Primum de aquae metu a rabidi animalis morſu producto agitur. Periculum et *modum* morbi morſus diuerſitati varie reſpondere, veneni autem commorſis communicati vim eam eſſe, vt in diſpoſitis tantum aquae metum accendat. Caſus hydrophobiae poſt decimum, vigeſimum aut quadrageſimum, poſt morſum, annum valde dubios quidem eſſe, venenum tamen vtplurimum per aliquod tempus in corpore delitеſcere.

Quibus praemiſſis, de his, quae medico in canis rabidi morſu laeſis incumbant, agitur. Is eo adniti debet, vt ingreſſum veneni in corpus impediat, iam ingreſſum autem venenum quantocyus aut expellat, aut infringat, et ſtricturae neruorum medeatur.

In medicinis ad aquae metum laudatis PALMARII puluerem, in leuioribus casibus, aliquid valuisse, improbabile non est, idemque de Tunquinensi puluere valet, vtilia vero tantum haec remedia esse possunt, si morbi primordiis opponuntur. Belladonna eam ob caussam ad aquae metum valet, quod sudorem pellat, simulque cutaneos spasmos, e veneno inductos sopiat. Mercuriales medicinae non semper hydrophobiae futurae accessum impediunt. (nos XV homines a rabidis canibus commorsos, nulla saepe vulneris plane cura habita, solo vnguenti mercurialis vsu integerrimos ab hoc morbo praeseruauimus, neque vnquam haec medicina spem nostram fefellit) Commodius per vrinae vias venenum expellitur, ipseque meloe maialis vrinam potenter ciet. Specifica ad rabidi canis venenum medicina non datur; omnes hoc modo agunt, vt certas excretiones augeant.

Maialis meloe iam ex longo tempore a ruricolis in Silesia pro specifica ad rabidi canis morsum medicina habitus est, compositionemque ad hunc morbum aueitendum efficacem Fridericus, Borussorum rex, anno 1777 a ruricola Silesio redemit redemtamque diuulgari iussit, quam maialis meloe et proscarabaeus potissimum ingrediuntur.

p. 25. Quamuis autem plura a Cll. viris prolata sint, quibus vis antihydrophoba huius insecti dubia redditur, quotidiana tamen experientia in Silesia effectus illius salutares comprobauit. Demorsi in patria hac Nostri terra a rabido cane non multum sibi a casu isto timent, sed vacui paene ab omni angore, tranquillo animo opiliones, qui meloen colligunt, adeunt, omnesque adhibita ista medicina sanantur.

p. 27. Nunc morborum historiae sequuntur, efficaciam meloes maialis probantes. Ipse Noster decimo

cimo aetatis anno misere a rabido cane dilaniatus hac sola medicina integerrime praeseruatus est. Effectus medicinae; quos in ipso corpore suo obseruauit, valde notabiles sunt. Vix horae spatio a sumto remedio elapso sensit primum dolorem obtusum in lumbis, quem paulo post vix tolerabilis stranguria sequebatur, ita vt lotium spissum, quasi mucilaginem gummi alicuius, vel oleum referens, guttatim fere, per totius diei longitudinem, continuo, cum doloris acerbissimo sensu destillaret; sanguinis vero ne vllum quidem vestigium obseruari potuit; natarunt potius inter multas aerumnas excretae exiguae guttulae in matula discretae, de quo symptomate, felicissimum morbi exitum praesagiente, omnes Nostro gratulati sunt.

Puella morsu laesa hac medicina sanata est, p. 32. symptomatibus hydrophobiam proxime antecedentibus iam praesentibus. Aliae obseruationes plures eundem remedii effectum felicissimum probantes recensentur.

Et in iumentis morsu laesis, vaccis inprimis, medicina efficacissima fuit.

Medicamentum adhibendi modus varius est. p. 50. Opiliones in Silesia meloen proscarabaeum vernali tempore colligunt, capite truncant, melli immergunt, sicque enectos vermes in vsum seruant. Exhibent vermes minutim cum melle tritos cum theriaca, scorpionum oleo, aut meloes oleo per infusionem parato. Quidam et radicis valerianae phu, agrimoniae, pimpinellae albae, visci querni etc. puluerem electuario adiiciunt. Princeps tamen medicinae virtus a meloe pendet.

Tabula aenea ad finem operis addita est, coloribus eleganter distincta, eaque delineatos sistit meloes *maialem* et *proscarabaeum*.

XXVII.

Noua physico-medica.

Auspiciis Augustae CATHARINAE II, scientiarum atque artium promotricis maximae, Academia scientiarum *Petropolitana*, dirigente Illustrissima Principe DASCHKAW, ab intimis Augustae cubiculis et ordinis S. Catharinae equite, in conuentu publico, die 10 octobris MDCCLXXXIII habito praemium quaestioni astronomicae *) *de motu diurno telluris* etc. propositum sic distribuit, vt idem partiretur atque duobus commentariis tribueretur. Dimidiam partem accepit Cl. IOANNES FRIDERICVS HENNERT, Professor Matheseos Vltraiectinus, auctor dissertationis, cuius symbolum erat: *Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.* Altera praemii pars tractatui, cum symbolo: *Dies et mensis, et annus, seculaque, et positae spatiis aequalibus horae:* concernebatur, eiusdem auctor est M. PAVL. FRISI, Professor Matheseos Milani.

Deinde problema sequens in annum MDCCLXXXV proposuit, atque de eo sequentia scripsit: Geographiae physicae studium nostris quidem temporibus, in omnibus fere Europae regionibus, magni aestimatur eaque solertia colitur, vt nec alpium glacies perpetua, rupiumue asperitas, nec vulcanorum antra igniuoma et profundissimarum fodinarum tenebrae naturae scrutatoribus obicem ponant, quin summa montium iuga aeque ac viscera terrae oculis suis lustrent, vbiuis noua et miratu digna naturae phaenomena obseruantes, quae artificiosam machinae terrestris fabricam, vi omnipotentis adornatam, praeclare demonstrant et illustrant. Mutationum praeterea, quas globus terraqueus per tot saecula subiit, vestigia, in montibus expressa depre-

*) vid. comm. nostr. Vol. hui. P. I. p. 161.

deprehenduntur, quae libri ſcripti vices gerunt, in quo, tacente omnium temporum hiſtoria, praecipuae naturae epochae literis quaſi conſignatae legantur. Ipſa nimirum ſaxa non omnia eiusdem ſunt vetuſtatis. Dantur recentiora; dantur etiam, quae antiquioris originis certa praebent indicia, cum alia forſan mundo coaeua cenſenda ſint. Si geneſin eorum ſpectas, non minorem ea intercedere differentiam inuenies; cum alii lapides ope ignis, alii via humida prodierint, nonnulli quoque alternas Neptuni et Vulcani vires experti ſint. Harum rerum notitia, ſi vel ſolus fructus eiuſmodi inueſtigationum eſſet, magni ſane haberi et digna cenſeri oportet, quae ab homine, ratione praedito, vt opera Creatoris admiretur, aſſidue quaeratur. Iam vero inſigni quoque vtilitate hoc ſtudium ſeſe commendat, et noſtris commodis vario modo inſeruit. Nimis amplus nobis daretur campus excurrendi, ſi praeſtantiam atque vſum eiusdem, ab omni verſu, vt aiunt, conſiderare et hic exponere vellemus. Miſſis igitur reliquis omnibus argumentis, quae ad propoſitum noſtrum non pertinent, id ſolum attuliſſe ſufficiat, quod venarum metallicarum exploratio et effoſſio, lucri quid foeneratura, tota quanta a recta et vera cognitione montium pendet, quam Geographia phyſica tradit. Illa metallicolis ſane filum Ariadneum praebet, vel ſaltem praebere debet, cuius ductu felici ſucceſſu laborem inſtituant, quo autem neglecto terrae gremium empirice perfodiant et metallicis diuitiis, ibi delitefcentibus, non niſi caſu quodam fortuito potiantur, nautis ſimiles, qui, pyxide magnetica carentes, ventis vela dare et quoquouerſum mare ſulcando portum quaerere tentarent. Obſeruatum eſt (vt vnico exemplo res illuſtretur) nonnulla ſaxorum genera, prae reliquis, huic vel illi metallo

magis fauere; funt quoque prognofes, ab indole petrae, cui minera metallica inhaeret, depromtae, quae maiorem vel minorem eius copiam pollicentur. Maxime igitur e re eft, vt faxa probe cognofcantur. Fateri autem cogimur, hanc partem mineralogiae nondum plane elaboratam et omni numero abfolutam effe; tot enim exfiftunt lapides fic dicti aggregati, tam varia particularum diuerfarum in his commixtio et proportio, vt facile inter fe aut confundantur, aut abfque ratione diftinguantur; vnde diffenfus auctorum et obferuationum haud raro oritur mere verbalis, cum vnum idemque faxum diuerfis nominibus falutatur, vel vice verfa, quae maxime differunt, pro congeneribus fumuntur. His et aliis rationibus mota, Academia Imperialis fcientiarum rem et phyficis et metallurgis gratam vtilemque fe facturam fperat, dum publico eruditorum omnium gentium examini et fcrutinio (folis exceptis Academiae Imperialis fociis, Petropoli habitantibus, quibus nunquam palma Academiae tribuitur) argumentum arduum quidem, fed magni ponderis, proponit, quod fi quis rite enodauerit, quantum hodierna fert fcientiae conditio, ideoque Academiae defiderio, caeteris concurrentibus plenius fatisfecerit, praemium centum nummorum aureorum, quos vulgo Ducatos vocant, accipiet. Problema vero eft:

„*Accuratam ac naturalem methodum faxorum, „quae corticem telluris conftituunt, fecundum gene„ra, fpecies et varietates difpofitam, ita elaborare, „vt finguli lapides aggregati vel mechanice mixti, „in montibus et ftratis terrae obuii, non modo cri„teriis certis, tam externis quam chemicis, et no„minibus fixis (absque inutili tamen receptorum „nominum innouatione, quae confufionem commu-*

„*niter*

„*niter parit) tutius ac facilius, quam antea licuit,*
„*a ſe inuicem diſtinguantur; verum etiam ratione*
„*originis ſuae et vetuſtatis diuerſae; prout hac*
„*vel illa naturae operatione, ſub variis geocoſmi*
„*mutationibus, ſerius ocius producti ſint, in claſſes*
„*diſtribuantur, ſimulque annotetur, cui metallo*
„*haec vel illa petra inprimis ſe matricem praebeat;*
„*adiectis obſeruationibus mineralogicis fide dignis,*
„*quae diuiſionem et reliqua aſſerta probant atque*
„*confirmant.*„

Rogantur omnes, qui cogitata et obſeruata ſua Academiae iudicio ſubmittere velint, vt diſſertationes ſuas literis diſtinctis, idiomate Roſſico, Latino, Germanico vel Gallico conſcriptas, ante Calend. Iulii anni MDCCLXXXV ad Acad. Imp. Scient. Secretarium IOANNEM ALBERTVM EVLER, transmittant; quae enim ſcripta praeterlapſo hoc tempore aduenerint, praemio ornari nequeunt. Nomina ſua auctores non ipſis diſſertationibus adſcribant; ſymbolo aut ſententia quadam potius diſcernendis. Adiungatur vero ſchedula obſignata, extus eodem ſymbolo, intus nomine Auctoris notata; quo facto a Secretario Academiae Syngrapham cum numeri, ſub quo diſſertatio fuerit repoſita, ſignificatione, accipiet auctor quilibet, dummodo locum, ad quem ea dirigenda ſit, indicauerit. Iudicium Academiae in primo poſt terminum praefixum conuentu publico enunciabitur.

Regia *Gottingenſis* ſcientiarum ſocietas in ſolemni conuentu, die 29 nouembris 1783 habito, praeter alia, de quaeſtionibus praemio expoſitis haec retulit. Quaeſtio primaria, *rem metallicam veterum* concernens *), nondum quidem omnino reſo-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 169.

resoluta et discussa est ab auctoribus missarum dissertationum. Interim ex quinque, quos receperat societas, tractatibus duo eidem digni visi sunt, qui praemii dimidia parte singuli coronarentur. Altera cum symbolo: *Mein Wissen ist Stückwerk*, studiose conquisitas de ratione, qua veteres in fodiendis et tractandis metallis vsi sunt, relationes cum insigni rerum montanarum peritia tradit, atque iuxta experimenta recentiorum ostendit, quoad ex iis aliquid ad rem nostram metallicam vtiliter adhiberi possit. Auctor eiusdem, aperta schedula cognoscebatur, Cl. DE FLORENCOURT, societati litterarum commercio iunctus. Altera cum epigrapho: *In rebus antiquis;* diligenter et docte relationes veteres collectas, chronologico ordine disposuit, atque sic historiam monticulturae per plures periodos tradidit. Huius auctor est Cl. D. REITEMEIER. Societas ambas has dissertiones, vti et reliquas tres dignas censet, quae publici iuris reddantur.

Caeterum de commentariis, qui super proposita quaestione *de remediis efficacissimis contra insecta lignum destruentia, e. g. Dermestem typographum, piniperdam, et similes*, ad Eam missi sunt, iudicium in alium conuentum distulit: ac quaestionem *de natura alcali mineralis et lixiuiosi*, in novembr. anni 1784 propositam, repetiit. Deinde in nouembrem anni 1785 hanc proposuit mathematico-physicam quaestionem: *Ex legibus, quibus densitas aëris et mercurii a calore regitur, praecepta condere, et demonstrare, altitudinibus barometro mensurandis idonea.*

Praemium est 50 numorum aureorum. Commentarii ante septembris vltimum diem ad Societatem mittendi sunt. Quaestiones oeconomicas omittimus.

Aca-

Academia Regia ſcientiarum *Pariſina*, quamquam ad quaeſtionem, quae analyſin ſalis marini attinebat *), plures tractatus recepiſſet, tamen nulli eorum praemium decernendum eſſe iudicavit. Etenim in aliis tentamina propoſita ſunt imperfecta, neque completam ſalis marini decompoſitionem aſſequuntur, alia, quae maxime votis academiae reſpondent, nihil habent, niſi quae iam ſcriptis Germanicis publici iuris facta, et in ſalinis Londinenſibus iam in vſum ducta ſunt. Quapropter idem argumentum et praemium 2400 librarum Gallicarum in annum 1785 proponit Academia. Auctores, qui iam tractatus ad eam miſerunt, noua tentamina ſupplementorum inſtar ſuppetere poterunt. Commentarii mittantur ante feſtum Paſchatos cognitis et ſupra **) propoſitis legibus ad Academiae Secretarium.

Eadem Academia cum ad quaeſtionem *de vaſis lymphaticis* ***) vnum tantum receperit tractatum, qui votis Academiae plane non ſatis fecit, huius quaeſtionis ſperatam reſolutionem nunc mittit, et quaeſtionibus ſequentibus praemia propoſuit. Primum praemium deſtinatum eſt *optimae deſcriptioni nerui intercoſtalis in homine.* Optat Academia, vt exacte naturae reſpondeat deſcriptio, vt neque ramificationes imaginarias addant, neque ramulos nerui quosdam negligant Auctores. Non opus eſt icones addere, ſi modo deſcriptio clara fuerit ac perſpicua; etſi maius pretium illae ipſae conciliabunt exactae deſcriptioni. Alterum praemium proponitur *optimae deſcriptioni nerui intercoſtalis in animalibus*, praeſertim in *ſimiae* quadam ſpecie, in cane, oue, gallopauone, rana et cyprino.

Aeque

*) vid. comm. noſtr. Vol. hui. Part. I. p. 165.
**) vid. ibid.
***) vid. ibid. Vol. XXIV. p. 360.

Aeque tamen, ſi vel *ſimiae* anatomica deſcriptio defuerit, ſi modo reliquorum nerui curate fuerint deſcripti, praemio participes fiant tractatus. Poterunt etiam addere Auctores aliorum animalium quoad neruum hunc deſcriptiones, atque ex arbitrio Auctorum pendebit, vtrum icones addere, vel omittere velint.

Commentarii ad vtramque quaeſtionem mittantur ante vndecimum diem nouembris, anni 1785, ad Academiae Secretarium. Praemium, quorum ſingulum eſt 1500 libr. Gallicarum in conſeſſu paſchali 1786 diſtribuetur.

Societas medica *Pariſina* in annum 1785 ſequentem quaeſtionem propoſuit: *Quaenam eſt natura et cauſſa morborum, quibus ii operarii expoſiti ſunt, qui ſtannum tenuiſſime cuſum et amalgamiſatum vitro ſpeculari inferunt? Quaenam optima eſt methodus, eosdem ab his morbis defendendi, fiat hoc, vel phyſicis, vel mechanicis remediis?* Commentarii ante calendas ianuarii 1785 mittantur ad Cl^{um} VICQ D'AZYR, Secretarium ſocietatis.

Academia ſcientiarum, artium et humaniorum litterarum *Diuionenſis* in annum 1785 ſequentem propoſuit quaeſtionem: determinentur ſigna, quibus, poſt apparitionem febris continuae aut intermittentis, cognoſci queat, vtrum ea futura ſit maligna, illaque, quae in decurſu harum febrium indicabunt momentum temporis, quo malignae febris indolem nanciſcuntur (*Déterminer les ſignes auxquels, dès le début d'une fiévre continue ou intermittente, on reconnoitra ſi elle ſera maligne, & ceux, qui dans ſon cours indiqueront le moment où elle ſera ſur le point de prendre un caractere de malignité.*)

Praemium optimae diſſertationi propoſitum eſt moneta aurea 300 librarum gallicarum. Commentarii

tarii mittantur, legibus consuetis, ad Cl[um] MARET, Med. Doct. qui continuo est a secretis Academiae. Caeterum praemium duplex reseruat eadem Academia *optimae theoriae ventorum* adiudicabitque optimae dissertationi, quae quocunque tempore ad Academiam missa fuerit. Solutionem quaestionis *super saponibus acidis* *) prolongatam vsque ad diem 13 nouembris anni 1784 assumet. Si autem tum spe frustrata fuerit, huic quaestioni non amplius inhaerebit, sed praemio huic aliam quaestionem destinabit.

Academia *Rothomagiensis* regia scientiarum, humaniorum litterarum, et artium in consessu publico, mense augusti 1783 habito, praemium commentario, super vi medica magnetismi et electricitatis ad quaestionem anno 1782 propositam **) scripto illi, cuius symbolum erat: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines* etc. decreuit. Etsi enim, quoad magnetismum, quaestionem non magis, quam in aliis tractatubus, in eo resolutam inueniret; tamen electricitatis effecta, et morbos, in quibus vel ea adhibenda, vel cauenda sit, ex voto descripta animaduertit. Doluit itaque, Auctorem in schedula adiecta, praeter primam nominis litteram M. nihil de se cognitum fecisse: vt ergo Academia praemium retinere coacta sit, donec Auctor iusto modo nomen suum Academiae indicauerit.

Quaestionem, quam super signis characteristicis terrarum argillosae, aluminosae, siliceae et aliarum alio tempore proposuit, cum vnus tantum tractatus, qui tamen non omnino votis Academiae satis fecerit, attentione dignus fuerit, in annum 1784 repetiit, Auctoremque dicti tractatus cum symbo-

lo:

*) vid. ibid. Vol. hui. p. 342.
**) vid. ib. Vol. XXIV. p. 718.

lo: *Viſcera eius extrahimus* etc. hortatur, vt, quae deſint ſuo tractatui, ſupplementorum inſtar ad Academiam mittat. Eſt autem quaeſtio ipſa haec: Definiantur characteres diſtinguentes terras argilloſam, aluminoſam, ſiliceam, et alias, quae a chemicis hactenus terrae vitreſcentes dictae ſunt: ita vt ex his diſtinctionibus phyſicis et chemicis vtilitas redundet ad agriculturam, aliasque artes, fullonicam, figilem vaſa porcellanea fingentem, et vitrariam. (*Etablir le mieux les caracteres diſtinctifs entre les diverſes terres, argilleuſe, alumineuſe, quarzeuſe & autres, que les Chymiſtes ont juſqu' à préſent confondu ſous le nom de terres vitrifiables; enſorte que de ces diſtinctions phyſiques & chymiques bien établies, reſultent des connoiſſances utiles à l' Agriculture & à differents arts, telle que la Foulerie, la Poterie, la Fayencerie, la Porcelaine, la Verrerie &c. dont pluſieurs ſont cultivés avec ſuccès à Rouen & ſont une partie du commerce de cette ville.*) Aliud praemium expoſitum eſt tractatui, in quo *hiſtoria naturalis, phyſica et medica Normandiae* optime deſcripta fuerit.

Tractatus, qui has quaeſtiones concernunt, mittantur ad academiam ante calendas iunii anni 1784 ſolutis vectigalibus ad Cl. HAILLET DE COURONNE, qui ſocietati eſt a litteris.

Nouum eſt vtique inuentum, vel ſaltem noua eſt theoriae cognitae applicatio, qua nuper fratres DE MONTGOLFIER inclaruerunt, vel aëre vaporibus rarefacto, vel aëre inflammabili globos ſericos, *machinas aëroſtaticas* dicunt, implere, qui tum ſponte aëra adſcendant, tranent, atque magna etiam ſatis pondera ſecum tollant. Tantam admirationem, tantumque applauſum nactum eſt ipſum hoc inventum, vt per omnem fere Europam tentamina aëroſtatica inſtituerentur, atque vt quidam ex Gallis,

lis, nempe Clariſſimi ROZIER, D'ARLANDES, CHARLES et ROBERT ſe ipſos his machinis attolli auderent, atque ſatis longum et altum ſpatium per atmoſphaeram felici cum ſucceſſu tranarent. Hiſtoriam huius inuenti optime tradidit Cl. FAUJAS DE ST. FOND, in libro, cuius titulum ſubiungimus *). Primum atque praecipuum, quo hae machinae etiamnum carent, eſt remedium aliquod has machinas ex arbitrio dirigendi. Quapropter Academia ſcientiarum, humaniorum litterarum et artium *Lyonenſis* praemium 1200 librarum Gall. cuius diſtributio eidem a perill. DE FLESSELLES et DE SAINT-VINCENT tradita eſt, decreuit commentario, in quo methodus tutiſſima, atque facillima, efficaciſſimaque indicabitur, machinas aëroſtaticas iuxta voluntatem dirigendi; (*Indiquer la manière la plus ſûre, la moins diſpendieuſe & la plus efficace, de diriger, à volonté, les machines aéroſtatiques.*)

Optat Academia, vt Auctores non ſolum dogmata exponant, ſed etiam ipſa adminicula indicent, et vel ſchemate, vel imagine illuſtrent, ipſaque experimenta referant, quo repeti poſſint. Si Auctores experimenta ipſi inſtituere velint, in praeſentia Commiſſariorum Academicorum hoc fiat. Caeteras cognitas conditiones mittimus. Tractatus mittantur ante calendas ſeptembris anni 1784, ſolutis vectigalibus, vel ad perill. DE FLESSELLES, vel ad Cll^os DE LA TOURRETTE et DE BORY, qui Aca-

*) Deſcription de la machine aëroſtatique de M. M. MONGOLFIER & de celles aux quelles cette decouverte a donné lieu, par M. FAUJAS DE SAINT FOND, à Paris. 8. av. fig. Breuior relatio et expoſitio factorum traditur in libro, cui titulus: *Montgolfierſche Luftkörper oder aëroſtatiſche Maſchinen, eine Abhandlung, worinn die Kunſt ſie zu verfertigen und die Geſchichte der bisher damit angeſtellten Verſuche beſchrieben werden von* FR. L. EHRMANN, *Strasb.* 8.

Academiae ſunt a litteris, vel ad *Aimé de la Roche*, typographum Academiae. Diſtribuetur praemium menſe decembris anni 1784.

Academia ſcientiarum et humaniorum litterarum *Montalbanenſis*, in conſeſſu die 25 auguſti 1783 praemium, quod quaeſtioni phyſico-oeconomicae *de conſeruatione frumenti atque defenſione ab inſectis, praeſertim curculione granario*, deſtinaverat, diſſertationi tribuit, cuius ſymbolum erat: *Vis unita fortior.* Auctor eius eſt Cl. BERTHOLON DE SAINT LAZARE, membrum plurium Academiarum, et Profeſſor phyſices experimentalis ſtatuum Languedociae, qui non ſolum quaeſtionem diligenter diſcuſſit, et remedia iam propoſita examinauit, eorumque impotentiam demonſtrauit; verum etiam noua tuta et facilia ſuaſit, quibus non ſolum inſecta in frumento praeſentia deſtruantur, ſed, quo minus ad granaria accedant, etiam impediantur.

Praemium acceſſorium (*l'acceſſit*) commentario cum ſymbolo: *populatque ingentem farris acervum curculio:* datum eſt.

Societas Belgica ſcientiarum *Harlemenſis* in conſeſſu, maio 1783 habito, quaeſtionem, *de natura exhalationum marinarum* *) propoſitam, cum vnam tantum, neque quaeſtioni ſatis conuenientem, acceperit reſponſionem, reclamauit. Poſtea autem, duobus ſuper quaeſtione *de gradatione corporum naturalium* ad eam miſſis commentariis ad examen reuocatis, nondum autem omnino votis ſocietatis reſpondentibus, hanc quaeſtionem repetiit vt ante annum 1786 ad eam reſponſiones ſocietati transmittantur: ſimulque indicat ſocietas, ſe nullas metaphyſicas diſcuſſiones optare, ſed velle, vt ex hiſtoria

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 525.

ſtoria naturali quaeſtio dilucidetur. Quae quidem quaeſtio ipſa haec eſt: Quodnam eſt iudicium ferendum de gradatione, quam plures philoſophi, cum veteres, tum recentes, inter corpora naturalia ſtatuerunt, et ad quemnam certitudinis gradum vera praeſentia huius gradationis atque ordinis, quem natura in eadem obſeruat, cognitio noſtra adduci poteſt? (*Que doit on penſer de la gradation, que plufieurs philoſophes, tant anciens que modernes ont admiſe entre les êtres naturels, & jusqu' à quel point pouvons nous parvenir à nous aſſurer de la réalité de cette gradation & de l' ordre, que la nature y obſerve?*)

Praeterea ſocietas has quaeſtiones prima vice propoſuit, ad quas ante annum 1786 reſponſiones exſpectat. 1) Quoad CRAWFORDI theoria de igne et calore experimentis confirmari, vel refelli poteſt? atque, ſi experientia vel omnino, vel ex parte, veritatem huius theoriae probat, quid confert illa ad naturam ignis declarandam, meliusque intelligendam? (*Jusqu' où peut-on adopter ou rejetter par des experiences la theorie du Docteur* CRAWFORD, *touchant le feu & la chaleur & ſi l' experience prouve en totalité ou en partie la verité de cette theorie, quels progrès nous fait-elle faire dans la phyſique du feu?*)

Optat ſocietas expoſitionem perſpicuam, experimentis illuſtratam: atque, ſi inſtrumentis admodum perfectis ad experimenta haec inſtituenda opus eſt, de modo, quo his inſtrumentis potiri, eademque experimenta repetere queat, relationem.

2) Quanam ratione condenſator, a Cl° VOLTA inuentus, atque neceſſarius apparatus, conſtruendus et adhibendus eſt, ad electricitatem atmoſphaerae methodo tutiſſima et facillima explorandam: et quinam optimus eſt electrometer, quo gradus electricitatis obſeruari poſſit: ſic vt quotidianis

meteorologicis obſeruationibus mutationes quotidianae electricitatis atmoſphaerae, praeſertim in Belgio, adiungi queant? (*De quelle façon le Condenſateur inventé par Mr.* VOLTA *& l' autre appareil requis doit être conſtruit & employé pour eſſayer l' Electricité de l' atmoſphère de la manière la plus ſûre & la plus aiſée, & quel eſt le meilleur Electromètre, par le quel on puiſſe obſerver le degré de l' Electricité; afin que l' on ſoit en état d' ajouter aux obſervations météorologiques journalières, les changemens journaliers de l' Electricité de l' atmoſphère, ſurtout dans les Pays-bas?*)

Ad hanc quaeſtionem commentarii mittantur ante calendas ianuarii 1785.

3) Quaenam ſunt obiecta ex hiſtoria naturali Belgii, e quorum diſquiſitione diligentiore vtilitas ad Belgium et ſocietatem humanam aliqua redundet? (*Quels ſont les objets de l' hiſtoire naturelle des Provinces-unies, au ſujet des quels on a lieu de ſe flatter, que des recherches plus exactes pourront procurer quelque utilité à notre patrie & à la ſociété humaine?*)

Non ſolam nomenclaturam corporum naturalium, ſed etiam expoſitionem cauſarum, cur haec corpora vtilia futura ſint, optat ſocietas. Commentarii ante anni 1785 initium mittantur.

Ex legato Cl[i] KOPS proponit has quaeſtiones: 1) deſcribatur apparatus inſtituendis experimentis ſuper aëre condenſato maxime idoneus: (*Une deſcription de l' appareil le plus propre à faire des expériences ſur l' air condenſé, de la façon la plus commode & la plus aſſurée.*) 2) Inquiratur cum hoc apparatu in actionem aëris condenſati diuerſis in caſibus, habita praeſertim ratione vitae animalis, incrementi plantarum, et inflammabilitatis variarum aëris ſpecierum: (*de rechercher avec cet appareil*

reil l' action de l' air condenſé dans des cas différens, de s' occuper entr' autres de la vie animale, de l' accroiſſement des plantes, & de l' inflammabilité des differentes eſpèces d' air.)

Quaeſtio denique praemio a ſocietate Batauiae congregata oblato propoſita, ad quam ante anni 1788 initium reſponſiones exſpectantur, haec eſt: Quibusnam diaeteticis praeceptis, theoria fundatis, et experientia confirmatis, poteſt ſanitas eorum conſeruari, qui, Indias orientales iter facientes, noxios effectus mutationis climatis et vitae generis experiuntur? Poſſuntne, praeter regulas generales, indicari ſpeciales, diuerſis claſſibus individuorum, quibus applicandae ſunt, adaptatae? (*Par quelles règles de conduite, fondées ſur la theorie, & confirmées par l' experience, pourroit-on conſerver la ſanté de ceux qui, faiſant le voyage des Grandes-Indes, éprouvent les effets pernicieux d' un changement extrême de Climat & de façon de vivre? Indépendamment des règles générales, pourroit on en indiquer de particuliéres, qui varieroient ſuivant les différentes claſſes des individus, auxquels on devroit les appliquer?*)

Commentarii, Belgice, Latine aut Gallice ſcripti, mittantur, legibus conſuetis, ſolutisque litterariis ſumtibus, ad Cl^um^ VAN DER AA, ſocietatis Secretarium. Praemium eſt moneta aurea, cogniti valoris.

Argentorati in locum b. SPIELMANNI ſucceſſit Cl. et Exper. HERRMANN, Profeſſor Chemiae, Botanices, et Materiae medicae ordinarius creatus eſt. Exper. LOBSTEIN, cum propter morbidam corporis naturam anatomico theatro amplius praeeſſe non poſſet, Pathologiae docendae munus ſuſcepit, atque Excell^o^. ROEDERER Profeſſio Anatomiae et Chirurgiae ordinaria tradita eſt.

 Cl.

Cl. MOHRENHEIM, Med. Doctor, ab Augusta Russorum Imperatrice Consiliarius aulicus et Professor Chirurgiae practicae et artis obstetriciae, cum salario 2000 imperial. Russicorum quotannis, nominátus est.

Cl. FRANK, Archiater episcopi Bruchsalensis, Gottingam vocatus, illic Professor medicinae factus est.

Cl. WITTWER, Med. D. praxin Norimbergae exercens, tertium in facultate medica Altdorfina locum nactus, atque illic Professor medicinae dictus est.

Experientissimus COTHENIVS, Consil. intim. et Archiater regius, Director Collegii superioris medici Berolinensis, et Exp. ROLOFF, Archiater Reginae, Decanus eiusdem collegii nominatus est.

Cl. CHRISTOPH. KNAPE, Med. D. Berolini nominatus est Professor Anatomiae in Collegio medico chirurgico.

Cll[i] HELLFELDT et FVCHS, Medicinae Doctores, in vniuersitate Ienensi Professorio munere extraordinario ornati sunt.

Experientissimus et Cl. WEICKARD, Archiater Fuldensis, a Russorum Imperatrice Augusta *Petropolin* vocatus et Eiusdem Archiater denominatus isthuc profectus est.

Ill. et Celeb. GRVNERVM, Consiliarium aulicum, Med. Doctorem et Professorem Ienensem, societas scientiarum Vliessingensis socium sibi adiunxit.

Iussu Regis Borussorum FRIDERICI II. Cl. LAVRENTIVS CRELL, a Consiliis montanisticis et Professor Helmstadiensis, in numerum membrorum exterorum regiae *Berolinensis* Academiae receptus est.

Excell. LEONH. FRID. MÖNNICH, Professor Matheseos et Physices Francofurti ad Viadrum, a Rege Boruf-

Boruſſorum Berolinum vocatus atque Conſiliarius ſuperior rerum montaniſticarum (*Oberbergrath*) nominatus eſt, et ſalario 800 thalerorum quotannis remunerabitur. In eius locum ſucceſſit Cl. CHRIST. ERN. WÜNSCH, Med. Doctor Lipſienſis, variis ſcriptis mathematico-phyſicis commendatus.

Experientiſſ. LENTIN, artem medicam *Clausthali* exercens, in locum demortui SCHAEFERI, M. D. Lüneburgum vocatus, atque ibidem Poliatri munus ſuſcepit.

Cl. D. VOLTELEN Profeſſoris Chemiae in academia Lugdunenſi munus adiit.

Mortui ſunt:

Sub finem anni 1782, Vratislauiae, MICHAELIS MORGENBESSER, Med. D. Collegii medici Vratislauienſis Senior et Decanus, clarus ſcriptis ſolidis et de patria vrbe praxi felici bene meritus.

Die 10 auguſti, anni 1783 Gieſſae Cattorum, IO. PHILIPPVS BERCHELMANN, Medicinae Doctor et Conſiliarius aulicus, qui variorum medicorum libellorum auctor eſt.

Die 14 octobris, anni 1783, Lutetiis Pariſiorum, Exp. SANCHEZ, Med. D. natus anno 1699, variis inuentis et ſcriptis medicis clarus, relicta opera manuſcripta Cl. ANDRY publici iuris reddet.

Die 18 nouembris, anni 1783, Lipſiae, D. ANTON RIDIGER, Profeſſor Chemiae ordinarius, anno aetatis LXIII.

Die 13 decembr. anni 1783, PETR. WARGENTIN, Eques de ſtella boreali, et Academiae ſcientiarum Holmienſis Secretarius primus, anno aetatis 66.

Die 31 decembris, anni 1783, Lugduni Batauorum Cl. VAN DOEVEREN, Profeſſor Medicinae et artis obſtetriciae.

Menſe ianuarii, anni 1784, Witebergae, Cl. ZEIHER, Med. D. et Profeſſor Aſtronomiae.

Die 3 februarii, anni 1784, Cl. CHRISTIAN LVDWIG, Philosophiae et Medicinae Doctor, societatis oeconomicae Lipsiensis sodalis, atque collegii minorum principum collega. Natus erat anno 1749, d. 12 maii, atque in physica docenda praesertim multum studii posuit. Scripsit anno 1773 dissertationem *de aethere varie moto, causa diuersitatis luminum*, in 4. et diss. *de hydrope cerebri puerorum*, 1774. 4. Praeterea in linguam Germanicam transtulit PRIESTLEYI tentamina et obseruationes super variis aëris generibus.

Die 18 februarii, anni 1784, D. PET. IO. MACQUER, Professor quondam Facultatis medicae, Censor regius, Professor Chemiae, membrum Academiae reg. Parisinae et Societatis regiae medicae etc. variis et doctis chemicis suis operibus praeclarus.

Die 27 martii, 1784 Lipsiae, D. ANTON GVILIELMVS PLAZ, Professor Therapiae ordinarius, Facultatis medicae Decanus, Academiae et nationis Saxonicae Senior, Collega collegii maiorum principum, atque Academiae Decemuir. Natus erat Lipsiae, anno 1708. Scripta botanica et medica, praesertim dissertationes et orationes, concinno latino sermone sunt celebrata.

XXVII.

Continuatio indicis scriptorum physico-medicorum, quae anno 1778 prodierunt.

I. I. REICHARDI flora Moeno-Francofurtana enumerans stirpes circa Francofurtum ad Moenum sponte crescentes, P. II. Francof. 8.

Abhandlung vom Blitze und Donner, von HEINR. REIMARVS, *Hamburg.* 8.

Vorschriften zur Anlegung einer Blitzableitung an allerley Gebäuden, von I. A. H. REIMARVS. *Hamb.* 8.

Kurzer

Kurzer Unterricht für die Hebammen und Wöchnerinnen in Städten und auf dem Lande, von TH. REINDEL, *Eiſenach.* 8.

M. F. REITEMEIER diſſ. de cautelis circa remediorum, praecipue euacuantium vſum, in morbis vel ſub initio morborum, Gotting. 4.

Obſervations intereſſantes en faveur de la ſection de la ſymphyſe du pubis ouvrage dont le but eſt, de repondre à un Memoire des Medecins & Chirurgiens d'Arcos, intitulé Examen des faits relatifs à cette operation &c. qui a été diſtribué le 23 mai & de ſervir de ſuite aux recherches hiſtoriques & pratiques ſur la même matière de Mr. LEROY par Mr. RETZ, à Paris. 8.

Obſervations philoſophiques ſur le ſyſtême de NEWTON, le mouvement de la terre & la pluralité des mondes; dialogues des morts ſur le ſejour des vivans, avec une diſſertation ſur les tremblemens de terre, les epidemies, les orages &c. par FLESCIER DE REVAL, à Paris. 12.

G. F. REÜLING caſus nonnulli de vlceribus pedum et eximia nitri in iisdem ſanandis efficacia, Gieſſ. 4.

C. F. REVSS de ſale ſedatiuo Hombergii, Tubing. 4.

Hiſtoire naturelle, civile & politique des Tonquin, par Mr. l'abbé RICHARD, à Paris, II. Vol. 12.

RICHTER opuſcula medica (*v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 533.)

A. G. RICHTER diſſ. de agarico quaedam exhibens, Gotting. 4.

EIVSD. *chirurgiſche Bibliothek, 4ter Band, 3tes und 4tes Stück, ib.* 8.

IO. RIEMS *phyſikaliſch ökonomiſche Bienenbibliothek, 3ter Theil, Breslau.* 8.

EIVSD. *geprüfte Grundſätze der Schleſiſchen Bienenpflege, ib.* 8.

IO. ANDR. RINDER de linguae inuolucris, Strasb. 4.

Herrn DARACH DE LA RIVIERE *wohlgegründeter Urinſpiegel. Aus dem Franzöſiſchen, Augsburg.* 8.

Traité de la ſphere, avec l'expoſition des differens ſyſtémes du monde. Par Mr. ROBERT, à Paris. 12.

CARL LE ROI *von den Vorherſagungszeichen in ſchmerzhaften Krankheiten. Aus dem Franzöſiſchen, Leipz.* 8.

E. ROSENBLAD diſſ. de paragloſſo exſertorio cum ptyaliſmo. Reſp. *Io. Cronholm*, Lond. Gothor. 4.

EIVSD. *mediciniſche Abhandlung von den Wirkungen des Kohls. Aus dem Lateiniſchen. Altenburg.* 8.

ROSENSTEIN *von Kinderblattern etc.* V. TISSOT.

Anweiſung für Anfänger, Pflanzen zum Nutzen und Vergnügen zu ſammeln, und nach dem Linneiſchen Syſtem zu beſtimmen, von A. W. ROTH, 2 *Theile, Halle.* 8.

D. RAULINS *Anweiſung zur Hebammenkunſt, zum Nutzen der Hebammen. Aus dem Franzöſiſchen mit Zuſätzen von* M. F. ALIX, *Leipz.* 8.

F. E. ROUCYERS *Entwurf der Naturlehre zum Gebrauche des königlichen Joachimsthaliſchen Gymnaſiums, Berlin.* 8.

Diſſertation ſur les lavemens en général & particuliérement ſur une methode nouvelle de traiter par ce moyen les maladies vénériennes. Par Mr. ROYER, à Paris. 8.

Journal de medecine chirurgie cet. Par Mr. ROUX, Tom. 49 et 50. (*v. ſupra*).

Traité complet d'anatomique ou deſcription de toutes les parties du corps humain. Par SABATIER. Amſterd. & Leipzig. 12.

Expériences propres à faire connoître que l'Alkali volatil fluor eſt le remede le plus efficace dans les Aſphixies. Par Mr. SAGE, Paris. 8.

* * SAGE *Erfahrungen, daß der flüßige Salmiakgeiſt*

das

das wirkſamſte Mittel ſey Erſtickte wieder zu erwecken. Aus dem Franzöſiſchen, Strasb. 8.

Recherches ſur les Volcans éteints du Vivarais & du Velais, avec un diſcours ſur les Volcans brulans &c. par Mr. FAUJAS DE SAINT-FOND, à Grenoble & à Paris. fol.

SANDIFORT theſaurus diſſertationum cet. Vol. III. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 514.)

EIVSD. Obſeruationes anatomico - pathologicae Lib. II. (*v. ib. p.* 506.)

Guériſon de la paralyſie par l'électricité, par Mr. l'abbé SANS, à Paris. 12.

SANTORINI tabulae XVII. anatomicae per GIRARDI (*v. ib. Vol. XXII. p.* 645.)

Précis d'hiſtoire naturelle, extrait des meilleurs auteurs françois & étrangers, par Mr. l'abbé SAURI, T. 1. 2. 3. 8.

Herrn SAURI *natürliche Geſchichte des Erdbodens. Aus dem Franzöſiſchen,* 2 *Theile, Nürnb.* 8.

SAM. SCHAARSCHMIDT *Anweiſung zu dem* Studio medico chirurgico, *welche die Pathologie, Chirurgie und Praxis in ſich hält,* 3*ter Theil, Berlin und Stralſund.* 8.

I. C. SCHAEFFERS *Einleitung in die Inſektenkenntniß, neue Auflage. Regensb.* 4. *m. K.*

EIVSD. *fünf Inſektengeſchlechter zur Einleitung in die Inſektenkenntniß, ib.* 4. *m. K.*

EIVSD. *Abbildung und Beſchreibung des Mayenwurmkäfers wider den tollen Hundsbiß.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 492.)

EIVSD. *ſämmtliche Verſuche mit dem beſtändigen Elektricitätträger. Vier Abhandlungen, Regensb.* 4.

EIVSD. *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole* (v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 358.)

SCHILLING de lepra (*v. ib. Vol. XXIII. p.* 424.)

Differt. phyfica de aëre eius fpeciebus, praecipue de aëre fixo lapidis calcarei. Auctore SCHINZ, Turici. 8.

CASP. CHPH. SCHMIDEL *Vorftellung einiger merkwürdigen Verfteinerungen etc. 1ftes Heft. Nürnb.* 4.

L. E. SCHNEIDERS *chirurgifche Gefchichte mit theoretifchen und praktifchen Anmerkungen, 8ter Theil. Chemnitz.* 8.

Epitome operum omnium ANT. DE HAEN in vfum iuniorum practicorum ftudentiumque accommodata per D. IO. MICH. SCHOSVLAN, Vienn. 8.

I. C. D. SCHREBERS *Säugthiere in Abbildungen nach der Natur, nebft einer kurzgefaßten Gefchichte derfelben, 3ter Theil, Erlangen.* 4.

EIVSD. *Befchreibung und Abbildung der Gräfer, Leipzig. fol.* (Primum volumen v. comm. noftr. Vol. XVI. p. 216. Alterum Vol. XXI. p. 717.)

FR. IOS. WILH. SCHROEDERS *medicinifch praktifche Abhandlungen. Aus dem Lateinifchen von* IO. CONRAD WENDELSTAEDT, *Rothenburg an der Fulda.* 8.

PH. GEORG. SCHROEDERI opufcula medica (*vid. comm. noftr. Vol. XXIII. p. 622.*)

I. S. SCHROETERS *vollftändige Einleitung in die Kenntniß der Steine und Verfteinerungen, Altenb.* 4. *m. K.*

G. SCHVSTERS *vermifchte Schriften als eine Fortfetzung des medicinifchen Journals, 5ter Theil, Chemnitz.* 8.

EIVSD. *fyftematifches Haus- und Reife-Apothekchen, welches auf alle Nothfälle der Krankheiten eingerichtet ift, ib.* 8.

D. I. F. SCHÜTZENS *Gefchichte einer fehr merkwürdigen zwölfmonatlichen Schwangerfchaft, Coburg.* 8.

F. SCHWEDIAUERS *Anfangsgründe des Ackerbaues und*

und Wachsthums der Pflanzen, nach dem Englischen des Herrn FORDYCE, *Wien.* 8.

IO. ANT. SCOPOLI principia mineralogiae ſyſtematicae et practicae, Venet. 8.

SENEBIER vid. SPALLANZANI.

C. G. SELLE *Einleitung in das Studium der Natur- und Arzneywiſſenſchaft, Berlin.* 8.

ANDR. ADAM SENFT experimenta phyſico-medica de electricitate et calore animali, Wirceburg. 8.

CAR. CASPAR SIEBOLD hiſtor. lithotomiae in eodem homine bis factae cum eius reſtitutione, Herbipol. 4. c. figg.

SIEGWART de foetus per peluim tranſitu ſub partu naturali accuratius deſcripto, Tubing. 4.

C. C. R. SIEMERLING diſſ. de colica eiusque ſpeciebus, Gotting. 4.

Diſcours ſur les avantages de la ſection de ſimphiſe, par JEAN RENE' SIGAULT, à Paris. 8.

Hiſtorical and practical Enquiries on the ſection of the ſymphyſis of the Pubes, as a ſubſtitute for the caeſarian operation performed, by Mr. SIGAULT, Lond. 8.

Diſcours ſur la meilleure methode de pourſuivre les recherches en medecine; prononcé devant la ſocieté médicale de Londres, à ſon aſſemblée annuelle, le mardi 18 janvier 1774, & publié à ſa demande, par Mr. JAMES SIMS. Traduit de l' anglois par Mr. TAVBERT, à Avignon. 8. (*Journ. de med. jouill.* 1779.)

Obſervations ſur les maladies épidemiques avec des rémarques ſur les fiévres nerueuſes & malignes, ouvrage traduit de l'anglois du même par le même, ibid.

LEONH. SINGER diſſ. de ſecretione bilis. Argentor. 4.

MART. SLABBERS *phyſikaliſche Beluſtigungen oder mikro-*

mikroſcopiſche Wahrnehmungen in- und ausländiſcher Waſſer- und Landthierchen. Aus dem Holländiſchen, Nürnb. 4. m. K.

GVIL. SMELLI theſaurus diſputationum in Academia Edinburgenſi ad rem medicam pertinentium ſelectus, Tomm. II, Edinb. 8.

Abhandlung von den Hämorrhoiden, verfaſſet von DAN. SÖDERBERG, *Altenb.* 8.

SOEMMERING diſſ. de baſi encephali et originibus neruorum cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 75.)

* SPALLANZANI opuſcules de phyſique animale & végétale, traduit de l'ital. par Mr. SENEBIER.

BALTH. SPRENGER *vollſtändige Abhandlung des geſammten Weinbaues und anderer daraus entſtehenden Produkte etc. Stutgard.* 8.

EIVSD. *Praxis des Weinbaues überhaupt, beſonders aber in Schwaben am Necker. ib.* 8.

I. C. STARKE de tetano eiusque ſpeciebus, praecipuis cauſis et ratione ſanandi, e veteribus et recentioribus ſcriptis cet. Pars prior complectitur hiſtoriam. Ien. 8.

ROB. STEAVENSON de electricitate et operatione eius in morbis curandis, Edinb. 8.

I. G. STEGMANNS *Beſchreibung eines Luftmeſſers der geſunden und ungeſunden Luft, Caſſel.* 8. *m. K.*

R. I. STEIDELE *Sammlung verſchiedener in der chirurgiſch praktiſchen Lehrſchule gemachten Beobachtungen, Wien.* 8. *2ter Band.*

Syſtema naturae in ſex regna diuiſum, auctore LARS STOCKENSTRAND, Holm. 8.

MAXIM. STOLL pars ſecunda rationis medendi in noſocomio practico Vindobonenſi, Vienn. Auſtriae. 8.

ANT. STOERKS *Abhandlung von dem Nutzen des Brennkrautes und des weißen Diptams, Nürnb.* 8. *m. K.*

ANT.

ANT. STOERCK. praecepta medico practica in vſum chirurgorum caſtrenſium et ruralium ditionum Auſtriacarum e lingua Germanica in Latinam verſa, per I. M. SCHOSVLAN, Tom. I, Vienn. 8.

G. K. C. STORR *Entwurf einer Folge von Unterhaltungen zur Einleitung in die Naturgeſchichte, 1ſten Bandes 1ſter und 2ter Theil, Ulm.* 8.

KARL STRACKS *Beantwortung der Preisfrage, die die mediciniſche Fakultät zu Paris aufwarf* ein Mittel anzugeben, das Blatterngift unwirkſam zu machen, *und welche nach dem Urtheile der nämlichen Fakultät das Acceſſit erhielt. Aus dem Lateiniſchen überſezt, Frkf. am Mayn.* 8.

De' monti colonnari e d'altri fenomeni vulcanici dello ſtato Veneto, memoria di S. E. il Sign. Caval. GIOV. STRANGE, Milano. 4.

G. A. SUCKOWS *ökonomiſche Botanik zum Gebrauche der Vorleſungen auf der hohen Kameralſchule zu Lautern, Manheim.* 8.

G. VAN SWIETEN *Erläuterung der Boerhaaviſchen Lehrſätze von Erkenntniß und Heilung der Krankheiten,* 1ſter *Theil, Wien.* 4.

Obſervation ſur le froid rigoureux du mois de Janvier 1776, par Mr. I. H. VAN SWINDEN, à Amſterd. 8.

IO. TEMPLE diſſ. de dyſpepſia, Edinb. 4.

Avis aux Meſſins ſur leur ſanté, ou mémoire ſur l'état habituel de l'atmoſphere à Metz, & ſes effets ſur les habitans de cette ville, par Mr. MICHEL DU TENNETAR, à Nanci. 12.

I. E. A. THEDENS *Unterricht für Unterwundärzte der Armeen, 2 Theile, Berlin.* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 719.)

FRANC. THIERY *Erfahrung in der Arzneywiſſenſchaft. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Leipz.* 8.

* THOMSON'S *mediciniſche Rathpflege. Aus dem Engliſchen mit Anmerkungen, Leipzig.* 8.

Herrn

Herrn TISSOT *und* ROSENSTEIN *Abhandlungen von der Natur und Kur der Kinderblattern etc.* *von* E. G. BALDINGER, *Leipzig.* 8.

EORVND. *Abhandlungen über die Einpfropfung der Blattern, von* BALDINGER, *ib.* 8.

* TISSOTS *ſämmtliche Werke, mit Anmerkungen von D.* KERSTENS, *erſter Theil, Schwerin.* 8. (Hic liber poſtea hic Lipſiae prodiit. v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 161. et 637.)

EIVSD. inoculation juſtifiée, Basle. 12. edit. 2. (*eadem cum* 1773.)

I. C. TODENS *mediciniſch chirurgiſche Bibliothek,* 5*ten Bandes* 3*tes Stück, und* 6*ten Bandes* 1*ſtes und* 2*tes Stück, Kopenhagen.* 8.

ERN. GOTFR. BALDINGER *beantwortet von* IO. CLEM. TODE, *ib.* 8.

Scienza della natura generale e particolare. Del Padre D. GIOV. MARIA DELLA TORRE, Parte III, con eſtampi, Napoli in 4.

BALTH. LVDWIG TRALLES *deutliche und überzeugende Vorſtellung, daß der für das Daſeyn und die Immaterialität der menſchlichen Seele aus der Veränderlichkeit aller feſten Theile des menſchlichen Körpers, ohne Ausnahme hergenommene Beweis, höchſt richtig und gültig ſey, Breslau.* 8.

EIVSD. *gründliche Erläuterung und Vertheidigung ſeiner lateiniſchen Abhandlung von dem Gebrauch der ſpaniſchen Fliegenpflaſter in Fiebern, ib.* 8. (Latinum tractatum v. in comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 306.)

IO. EHRH. TRAMPEL *Beſchreibung der Meinberger Mineralquellen in der Grafſchaft Lippe, nebſt einem Sendſchreiben des Herrn* ZÜCKERT *vom Meinberger Mineralwaſſer zum innerlichen Gebrauch,* 3*te und vermehrte Auflage, Lemgo.* 8. (Antecedentem editionem v. in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 674.)

* TRE-

* TRECOURT *Betrachtung über verschiedene Gegenstände der Arzneykunst. Aus dem Französischen übersezt von* EYERREL, *Leipzig.* 8.

DAN. GVIL. TRILLER diss. medica de oleis. Resp. et Auctore *Godofr. Ehrh. Dippold*, Witteberg. 4.

TRNKA vid. KRZOWITZ.

E. TROTVLAE curandarum aegritudinum muliebrium ante et post partum libellus, e recensione ALDI emendationibus atque animaduersionibus illustratus; accedunt HENR. KORNMANNI quaestiones de virginum statu ac iure obseruationibus auctae, Lips. 8.

De la transplantation, de la naturalisation & du perfectionnement de végétaux, à Londres. (Paris) 8.

Voyage fait par Ordre du roi en 1771 et 72 etc. par Messieurs DE VERDUN DE LA CRENNE, DE BORDO, et PINGRÉ, 2 Voll. 4.

K. F. UDENS *Entwurf eines Systems der Geschäffte eines Land- Kreis- und Stadtphysicus in königlichen preussischen Landen, Berlin.* 8.

DAN. ANT. DE ULLOA *physikalisch historische Nachrichten vom südlichen und nordöstlichen Amerika, mit Anmerkungen von* I. A. DIEZEN, *Leipz.* 8.

I. A. UNZER *über die Ansteckung, besonders der Pocken, in einer Beurtheilung der Hofmannischen Pockentheorie, ib.* 8.

I. VAUGHAN'S cases and observations on the hydrophobia cet. Edit. 2da, Lond. 8.

EIVSD. two Cases of the hydrophobia, with observations on that disease, with an account of the Cesarian section lately performed, ibid. 8.

Supplement au Dictionaire raisonné universel d'histoire naturelle de Mr. V. DE BOMARE par Mr. VICAT, à Lausanne, 8.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.